

oo

Tr

+

14.

JOHANNIS CHRISTOPHORI
BARTENSTEINII
PHIL. D. & J. V. L^{ti}
DE
HÆREDIPETIS,
DIATRIBA JVRIDICA
unà cum Oratione
DE
CAVSIS CORRUPTÆ JV.
RISPRVDENTIÆ.



ARGENTORATI,
Sumptibus JOH. REINHOLDI DVLSECKERI.

ANNO M DCC XII

LUDOVICI MAGNI
CONSILIARIO SPLEN-
DIDISSIMO,
VIRO
PERILLVSTRI ATQVE
EXCELLENTISSIMO,
DOMINO
JOH. BAPTISTÆ
DE
KLINGLIN,
REGIO
IN INCLYTA ARGENTORA-
TENSIVM CIVITATE
PRÆTORI,
ET GRATIOSISSIMO
HELICONIS ALSATICI
PROTECTORI.

DO MVT
VIRO
GENEROSISSIMO MAXI-
ME QVE STRENVO,
DNO JOHANNI JACOBO
WVRMSERO,
à Vendenheim/
REIPVBLICÆ PATRIÆ
PRÆTORI GRAVISSIMO
ET VNIVERSITATIS CANCELLARIO EMI-
NENTISSIMO,
VT ET
VIRIS MAGNIFICIS, AMPLISSIMIS
ATQVE PRUDENTISSIMIS,
DN. JACOBO WENCKERO,
DN. JOH. REINBOLDO
FRIDERICI,
EJVSDEM REIPVBLICÆ CON-
SVLARIBVS, TREDECIMVIRIS ATQVE
SCHOLARCHIS MERITIS-
SIMIS.

DOMINIS,
MÆCENATIBVS, PATRONIS
ATQVE EVERGETIS SVIS
GRATIOSISSIMIS,
OB
PROMOTA PROSPERITATIS PVBLICÆ
INCREMENTA,
OB
RENOVATVM PARNASSI PATRII DECVS
ET OB
INSIGNIA IN SE DOMV MQVE PATERNAM
MERITA,
HOC
DEVOTISSIMI GRATISSIMIQVE ANIMI
MONVMENTVM
HVMILLIMA MENTE CONSECRAT,
TANTORVM NOMINVM

DEVINCTISSIMVS CLIENS,
M. JOH. CHRISTOPHORVS BARTENSTEIN.

Mæcenates, Patroni atque Pro-
tectores Summi,



Æredipetarum odium professo
non aliud vel requirendum cer-
tius, vel inveniendum prom-
pius, quàm in VOBIS præfi-
dium fuit, qui exactissimâ ju-
ris administratione atque exem-
pto imprimis Vestro bellum jamdudum omnibus
omnino vitius indixisti. Debet enim et hoc VOBIS
Argentina, quod imaginem summae virtutis indolem-
que non ex vetustioris amplius Historia monumentis

(5) o (5)

addiscere habeat necesse, sed in actionibus porrò Vestris & intueri eam propius & venerari queat. Terrima tamen præcipue Justitia cura eò splendidiore nitore in VOBIS resulget, quo arctius excelsum, in quo collocati estis, fastigium Themidi VOS sociavit. Magnum utique videri potest, propagatis late finibus, sparso ad orbis extrema nominis sui terrore & madenium hostili cruore camporum famâ superbire posse. Solidior tamen Vestra gloria est, qui non terrore, sed amore Vestrum cuncta impletis; qui non alias, quam vitia, hostes agnoscitis; & qui denique crescentem quotidie flagitosorum malitiam & impugnatis ubique & debellatis semper. Sed quid ego delineandis rudi penicillo meritis Vestris diutius immoror, cum exprimi ea non alia, nisi quæ Vestræ par est, facundiâ queant. De Te certè, PERILLVSTRIS
DOMINE PRÆTOR REGIE, quicquid commemorari magnum, quicquid dici sublime, & quicquid excogitari magnificentum potest, unicum illud laudum Tuarum argumentum complementumque immensum superat, à Maximo in his terris Rege præce-teris TE selectum fuisse, qui Senatui populoque Ar-
gen-

• 8) o (8 •

gentinensi præfess. Eò glorioſius utique Tibi hocce
Optimi Principis de TE judicium eſt, quò magis
omnes norunt, & tenerrimum ILLVM eſſe civium ſuo-
rum amator em, & sagacissimum in ponderandis Mini-
ſtrorum ſuorum meritis Judicem. Et ſiqui inter morta-
les ſunt, qui ſolenni illo à DEO dati encomio exornari
merentur, TV ſanè nobis cœleſte munus eris, à DEO
quippe confeſſus per **LVDOVICVM**
MAGNUM, proximam divinae Majesta-
ti Majestatem. Exceſſiſſe ex his terris, nequitie labe
adeo infectis, Aſtræam Poëta fabulati ſunt, ſed ex-
hibet ſub regimine TVO aureum Argentina ſecu-
lum, dum in TE Gallicæ Aſtræa alumnū colit.
Ceterū, ſi ob libertatem, quā in compellandis VOBIS
OMNIBVS, Maſenates Optimi, uſus ſum, nimia teme-
ritate uſus videor, excuſabit me, uti ſpero & humani-
tas Veſtra & audacia mea ſcopus, gratiſimæ mentis
profefſio. Optimis quibusvis Romanorum Caſaribus
non tam honori iſorum à Senatu Populo veſe confeſſata
magnificentie monumenta, que vanitas plerumque
aut adulatio extorſerat, accepta erant, quam placuit
iis dictata ab ipta pietate mutua civium in nuncu-
pan-

• 5) o (5 •

pandis pro Principis salute votis simulatio. Neque VOBIS ergo displicere conatus meus poterit , quòd simplici humilique cultu arrepere ad VOS Musa mea fuerit ausa ; quòdque memor immensorum , que à VOBIS in familiam paternam promanarunt , beneficiorum votivam pro Salute Vestra in Salutis sacrario tabulam suspendam. Supremus ille rerum humanarum arbiter in VOS , Patriæ Patres , Statores felicitatis publicæ , preciosos cœlestis benignitatis sue thesauros largissimis manibus effundat : quòd li- tando utilitati publicæ , quòd beneficiendo alis per longissimam adhuc insequentium annorum seriem be- ne de Republicâ , bene de re literariâ merendi ansam nanciscamini ; quòd viri adhuc aeternâ nominis Ve- stri gloriâ , charitate & fiduciâ bonorum omnium , at- que incrementis etiam prosperitatis Alsatice , tan- quam curarum Vestrarum fructibus , perfaci positis ; & quòd denique consolari se Argentina de mortalitate Vestra per immortalitatem famæ & nunquam inter- morituram meritorum Vestrorum memoriam queat.

BENEVOLO LECTORI

S. P. D.

JOH. HENRICVS
FELTZ, D. PP.

p. t.

*Facultatis Juridicæ
Decanus.*



I unquam JCtorum in
isthac Vniveritate Collegium
uberem habuit lætandi pariter ac gra-
tulandi materiam; in excellentiore eam
gradu nunc adipiscitur, dum in cathe-
dram inauguralem solenni ritu deducere
parat excellentis ingenii ac doctri-
næ juvenem, DN. JO. CHRISTOPHO-
RVM BARTENSTEINIVM. Ita enim rarissimi exempli di-
scipulum in frequentissima panegyri felices hoc nomine Do-
ctores publice ostentabimus, egregium laboris nostri fructum
ex lætissima singulorum Argentorati ordinum acclamatione
)()(repor-

reportaturi. Sed & ita vicissim Reip. atque Academiæ ingens ex cive suo emolumentum honoremque splendidissimum præfigere dabitur, atque utramque hoc titulo fortunatissimam deprædicare. Non deficiunt equidem utriusque elegantia & excelsa immo ingenia, nec ullæ defecerunt ætate; verum, quod rarius contingere videmus, & in BARTENSTENIO nostro admiramur, illud est, quod omnia, ut egregium ILLE boni publici instrumentum fieret, singulati plane consensu conspiraverint. Accessit enim igneis animi dotibus, quas benignissima EI natura est largita, à prima statim ætate per providam Parentis optimi Doctissimig_r, curam ejusdemque scitam manuductionem studiosissima cultura. Adeptus est, cum adolevisset, egregios plane in humanioribus, quæ studii severioris necessaria præparamenta agnoscimus. Doctores, inter quos eminent Vir Cl. quem sub Affinis etiam veneratur titulo, Eruditissimus Khunius noster, quem in historiarum in primis pelago emetiendo peritissimum nauclerum expertus est. Atque IPSE porro, quod suarum erat partium, adeo egit serio, ut de ardore discendi atque intimos disciplinarum aditus aperiendi nihil unquam remitteret. Neque adeo mirabamur JCti, quod cum ad sub sellia nostra ascenderet, ea per lusum, ut ita loquar, addisceret, in quibus comprehendendis alii multum ac inani sæpius conatu desudant; quodque non tantum singulas Jurisprudentiae partes egregie peragraret, sed plane atque ita omnes, & inter eas in primis etiam Jus, quod ita vocamus, Publicum percolerets, ut in abditissima genuinæ prudentiae adyta penetraret; alienus plane ab illorum mente, qui simplici L.L. Romanarum Germanicarumque notitia ut cunque imbuti, magnos se JCtos astimant, etiamsi, ex quibus illæ fontibus profluxerint, & qui cum aliarum gentium institutis utiliter comparandæ veniant, juxta cum ignarissimis sciunt. Jucundissimum mihi nunquam non fuisse publice hic pro-

profiteor, Præsidis officio defungi, ubi *Candidatum nostrum* ad argumentandum invitare licuit; itaque, ubi splendidiorem confessum expectabam, id semper egi, ut *ipsum* defendantem meo adversarium conspicere audiremque, persuasissimus, solidiores me dubitandi rationes percepturum. Qua quidem ratione mihi ipsi gratulor, quod in notitiam ILLVSTRISSIMI DNI. DE LA HOVSSAYE, in sanctiori Regis Christianissimi, quo negotia *Status* tractantur, Senatu Consiliarii atque *Intendenz* in Alsatia &c. Regii, quem prudentissimum ingeniorum aestimatorem omnes, Patronum autem singularem Musæ Argentoratenses experintur, EVM deduxerim, cum Per-illustri filio E J V S D E M opponentem feligerem. Ut primum enim Vir hic Illustrissimus auditorem se ipsi gratiore exhibuit, statim etiam aestimio EVM suo complexus, ac favore dignatus est. Neque vero dubito, quin, quos fortunæ cujusque arbitros in Patria nostra DEus constituit, idem de NOSTRO judicium sint lati, & pro studio ac amore boni publici, quo flagrant, impedituri, ne, quæ in patria nostra feliciter nata, atque curate exulta est, arbor in peregrinam transferatur terram, alibi, quos hic potuisse producere, egregios latura fructus. Ego sane, non tam vinculo cognationis, quod à communi Proavo materno derivamus, quam meritis personæ eximiis permotus, non potui non vel paucis hisce sub auspiciis dissertationis inauguralis, quam ut erudite conscripsit, ita masculine defendet, tum Patribus Patriæ, tum Tibj L. B. quam enixissime commendare BARTENSTEINIVM meum. Vale! Scribebam Argentorati D. II. Junii A. C. MDCCXI.


Juncte

35) o (36

JVNcte domo , sed juncte magis mihi pectori fido .
O pars magna animæ deliciumque meæ !
Contra Heredipetas Te , dum docta induis arma ,
Magnarum heredem est qui sibi scribat opum .
Dives opum Tempus , sed & irrevocabile Tempus ,
Humanas inter quod moriturque manus .
Dum colis assiduè hoc , nec stulta per otia perdis ,
Hoc dum ne pereat maxima cura Tibi est ,
Gratum est pro meritis , heredem ex ase relinquit ,
Expirans summis Te cumulatque bonis .
Inde decus famamque & honores insuper amplos
Hoc magis acquires , quò minus Ipse petis .
Scilicet hæc solidæ ratio est naturaque laudis ;
Si fugis hanc , dabitur , si petis , illa fugit .
Sed quanquam pro Te magnorum est summa bonorum ,
Hinc tamen & plures , unde fruantur , habent .
Nam legata simul Patriæ domuique Paternæ
Evenient , studii fructus & ipsa Tui .
Ipse quoque in partem veniam , virtusque parabit
Sic ditata animo gaudia mille meo .

Dilectissimo Affini
applaudens scr.

Joh. Casparus Khunius ,
Hist. & Eloq. Prof. P.





Præfatio ad Lectorem.

Non longè arcessenda nobis ratio erit, cur ex immenso Jurisprudentiæ pelago hanc præcipuè, quam præmanibus habemus, materiam selegerimus. Exhibuimus namque non ita pridem de promptum ex Jure Publico argumentum: in quo pertractando cùm nollemus utique civiles Romanorum Leges infamto crepare ore, dandum hoc aliorum judiciis videbatur, ut privati quoque Juris partem hac vice delibaramus. Sistere itaque Tibi, B. L. Testamentorum infidiatores conveniente censurâ notatos constituiimus, tum obviâ ubivis hominum illorum frequentiâ, tum concisâ Doctorum idem, quod nos, agentium brevitate permoti. Non sumus tamen in hac etiam disquisitione nostrâ recensendis Quiritum institutis unicè immorati, sed in indagândâ mali origine, in exquirendis Legum Romanarum fundamentis, & in commemorandis denique aliarum gentium moribus paulò itidem prolixiores extimus: ne scilicet Legalistarum illorum vestigia premeremus, qui neglegetis istis genuinæ Jurisprudentiæ subsidiis, ultra inanem Legum notitiam parum aut nihil sapiunt, corticem frangentes & de nucleo parum solliciti. Neque verò iram eorum, quorum fraudes perstrinximus, anxi formidamus: quamvis enim in eo vivendum nobis seculo sit, in quo difficile est satyram non scribere, eâ tamen simul libertate gaudemus, ut liceat

Parcere personis, dicere de vitiis.

Et siqui sunt, quibus ne hæc quidem veritatis professio arridet, caveant profectò illi, ne propriis querelis turpitudinem suam palam faciant. Ipsum Meletema nostrum in duo Capita hunc

maximè in modum dispescimus, ut primo quidem detectâ mali origine artes Hæredipetarum & fata delinearemus; altero verò Juridicam subjungeremus ~~enarrationis~~ nostram. Tu interim B. L. errores, qui hîc irreplerunt, juventuti sribentis & properanti ob adornandum mox iter Authoris calamo condona, probè gnarus, non quarendum esse in fœtu tironis intra non multos dies confecto subactum judicium, cùm in summorum etiam ingeniorum laboribus Horatius requirat, ut nonum premantur in annum.

C A P V T I. *Hæredipetarum Species & Fata enarrans.*

Origo mali.

Insitam plerisque mortalium auri sacram famem si in limite Dissertationis nostrâ vel enarrare vel deplorare latius aggredieremur, verendum utique nobis foret, nè intempestivo nimis ardore in vulgarem adeò seculi nostri calamitatem invehere velle videamur. Quotusquisque enim est, qui non tacitâ saltē indignatione irascatur reprehendenti vitium, quod in se reperit? & quotusquisque etiam non anxiis votis in re alienâ grassandi facultatem vel exoptat, vel exoptatam exercet? Ipsæ certè sanctissimæ Themidos fides & consecrata iustitiae administrationi loca, quām non sunt illa ab hac etiam saepius labé immunia, cùm non aliunde prolixī judiciorum circuitus & tristissimæ fori ambages proveniant, quām vel à Judicium, vel litigantium, vel Advocatorum denique protervâ habendi libidine. Imò cui temporum, in quaē incidimus & quorum recordamur, conditionem perpendenti ignotum esse potest, ex pretio auri avaritiae studium, ex avaritiae verò studio premium auri adeò crevisse, ut dubium ferè sit, pluresne ad tam turpem questum vitium sollicitarit, an vitii merces? Sed nostrum nunc non est singula avarorum agmina percurrere, aut quovis eorum Ordines impugnare: contenti potius erimus partem mali tetigisse, quod èò altiores hactenus egit radices, quòd impunius exercitum & majori cum emolumento conjunctum fuit. Hæredipetarum scilicet, ut Petronio audi-

audiunt, mores depingere & revocare sub incudem intendimus: quo nomine quale hominum genus indigitetur vel ex sola vocis Etymologiâ cuivis patescet. Sunt namque *Heredipete* nihil aliud, quam alienarum hæreditatum captatores, qui eas perversâ ratione expetunt. *Vultures* illi vel *Vulturii* vulgarâ Metaphorâ appellantur, quod iis, quorum mortem aut sperant aut exoptant, veluti cadaveribus inhinent, quemadmodum & avi huic proprium cadaveribus tantum vivere: Plinio eriam l. 10. Hist. Nat. c. 6, memorante, adeo multum sagacitatis tributum vulturibus à naturâ, ut biduo aut triduo prevolent iuc, ubi cadavera futura sunt. Et hinc natum est illud Latinorum proverbium: *Vultur est, cadaver expetat*, cuius etiam meminit Seneca, haud postremus licet & ipse è vulturum numero, ep. 95. Conf. quoque Erasmi Adagia p. m. 697. Ut autem in adumbrandis horum hominum moribus ritè incedamus, causam primò mali indagabimus, subiuncturi inde tum diversas Hæredipetarum species artesque, tum diversa etiam eorundem fata. Quoad causam morbi hujus moralis innuimus modò, haud paucos, ut fœdam adeo artem profiterentur, induxisse avaritiae præmium, cum, ut Auctoris dialogi de Oratoribus verba inversa hic trahamus, quanto quisque plus arcâ valet, tanto facilius honores assequatur, tanto magis in ipsis honoribus Collegas suos antecellat, tanto plus apud Principes gratiae, plus auctoritatis apud Patres, plus noritiae & nominis apud plebem paret. Quamdiu etenim sua virtuti laus, pretium & decus tribuebatur, quamdiu alieni cupiditas absque lucro profosa habebatur, & quamdiu denique non nisi ut instrumentum excolenda virtutis expetebatur aurum; ignota ferè erant vitii hujus secreta, valebantque plus tum boni mores, quam nunc bona Leges. Ast postquam mutato seculi genio obstante incrementis virtutum tristis periodus coepit,rupta ferè omnino sunt, quibus malitia hominum ponebarur obex, vincula, parsque consilii à plurimis habita fuit, haud immunem esse à lucrosâ nequitia. Notavit id de suis jam temporibus Juvenalis, dum cecinat:

*Aude aliquid brevibus Gyaris & carcere dignum,
Si vis esse aliquid: Virtus landatur & alget.*

A 3

Et

Et trahi huc possunt etiam ea, quæ de neglectu Poëeos Martialis tradidit l. 1. Epigr. 77.

Pterios differ cantusque chorosque sororum,
 Es dabit ex ipsis nulla pueri Tibi.
 Quid petis à Phœbo? nummos habet arca Minervæ.
 Hac sapit, hac omnes fenerat una Deos.
 Quid possent hederae Bacchi dare? Palladis arbor
 Inclinat varias pondere nigra comas.
 Prater aquas Helicon & serra lyrasque Deorum
 Nil haber, & magnum semper inane Sophos.

Vtinam verò gloriari nobis de eo liceret, de quo ipsis conqueſti sunt! Vtinam algeret modò virtus & laudaretur! Sed ne hoc quidem sperare in iis temporibus licet, in quibus plerique nubem pro Junone larvamque virtutis pro virtute amplectuntur. Accedit multitudine eorum, qui hac labie infecti, exulante ferè in improborum copiâ pudore, validissimo alias ad cohibenda mortalium flagitia remedio, cùm nemo id exprobrari sibi posse credat, à quo nec alieni sunt ii, quorum metu aut reverentiâ tangitur, aut quod aliorum saltē exempla minus turpe effecisse videntur. Verū ut hinc communis ferè omnium scelerum fons atque origo derivari potest, ita in proclivi quoque erit, specialiores exhibere caufas, cur præ ceteris testamenta captandi mos & olim & hodie invaluerit. Ea nimurum est plerorumque hominum indeos atque genius, ut virtutes licet exosi, famam tamen gloriamque virtutis aucupentur, utque iis in primis flagitiis indulgeant, quibus improbitatis opinio detrahi, imponique vicissim virtutis larva facilimè potest: imitati hac in re occultum subdolumque Tiberii fingendis virtutibus ingenium, de quo Tacitus l. 6. Annal. in fine. Ita enim id assequuntur, ut dum avaritiae studio operam dant, ambitioni tamen simul litent, naturâ suâ alias inter se disjunctis. Quām facile autem hoc iis est, qui subtiliore quadam ratione aditum sibi ad hæreditates aliorum querantur: Muneribus sanè cumulare orbos, obsequio delineare senes & officiis quovis sibi devincire, liberalitatem, commitatem, pietatemque interpretabuntur probi etiam viri, qui ex suâ indole alios metiuntur. Insuper & gloriae ducunt, præ-

ce-

ceteris hæreditate dignos judicatos se fuisse, prælatosque in successione iis, quibus alias vel lex vel consuetudo defuncti bona deferebat. De Domitiano certè Tacitus testatur c. 43. in vita Agricola : *lepto testamento summi illius belli Ducis, quo coheredem optima uxori & piissima filia Principem scripsérat, letatum eum fuisse, veluti honore judicioque.* Quibus verbis quid indigiterat, aperit egregiè insignis locus apud Suetonium in vita Augusti c. 66. *Exegit & ipse invicem (ita ille de Augusto) ab amicis benevolentiam mutuam tam à defunctis, quam à vivis.* Nam quamvis minime appeteret hæreditates, ut qui nunquam ex ignoti testamento capere quicquam sustinuerit, amicorum tamen suprema judicia morosissime penitavit, neque dolore dissimulato, si parcus aut citra honorem verborum, neque gaudio, si gratae pieque quis se prosecutus fuisset. Mos tamen invaluerauit apud Romanos, expondere in testamento ultimæ voluntatis causas, merita ut plurimum earum personarum, quibus vel universa hæreditas vel porrio ejusdem adjudicabatur, concernentes: id quod pluribus demonstrare facilè foret, si id instituti nostri ratio permetteret. Non conveniunt tamen hæc cuivis Hæredipetarum generi, utpote qui diversissimis sœpe remedii idem intendunt, quæ eò magis studiis discernenda à nobis sunt, quò majus lumen hoc ipsum discrimen judicio Juridico, quod secundo hujus Dissertationis capite subjungemus, affunderet. In genere autem Hæredipetæ in duas veluti classes dispesci possunt, ita ut crassiores altera, altera subtiliores complectentur. Illos milvios vocari, hos vulturibus proverbio comparari annotavit eruditissimus adagiorum explanator Erasmus l. c. Referimus autem ad priorem classem omnes eos, qui manifestis sceleribus testamenta aliorum acupantur; ad posteriorem vero, qui officiis duntaxat & obsequiis aliisque modis in se non illicitis id agunt, ut hæredum aut legatariorum numero misceantur. Sed & ii ipsi, qui in prima classe conjuncti occurrunt, non iisdem mediis ad eundem scopum collimant. Solenne ferè Romæ fuit iis, quos fortuna ad summum in orbe fastigium perduxerat, aut qui principem in gratiâ Cæsarum locum tenebant, ditissimis quibusvis lasciæ Majestatis alteriusve criminis suspi-

*Species Hære-
dipetarum.*

cionem affingere , ut ne color deesset bona eorum tanquam caduca sibi vindicandi . Adhibebantur huic rei scelestissimi quique , sceleribus sibi ad opes honoresque aditum quærentes , qui ut eò facilius delatorum munere fungerentur , amplissimis promissis aut parte etiam prædæ ad foedam adeò officium sollicitabantur . Eximiè prorsus de hac Reipublica peste egit Plinius in incomparabili Panegyrico suo c. 34 . *Vidimus* , ait ibi , *delatorum judicium quasi grassatorum , quasi latronum : non solitudinem illi , non iter , sed templum , sed forum insederant . Nulla jam testamenta secura , nullus statas certus : non orbitas , non liberi proderant . Meminit ejusdem & Tacitus passim , in primis l. 4. Annal. c. 30. ubi cum retulisset , quod in Senatu de præmiis accusatorum (qui Tiberii tempore , ut ex Dione Cassio constat , quartam bonorum delati partem accipiebant) abolendis actum fuerit , si quis Majestatis postulatus ante perfectum judicium se ipse vitâ privavisset , postea subjugit : *Ibaturque in eam sententiam , ni durius , contraque morem suum palam pro accusatoribus Cæsar , Irritas Leges , Rempublicam in precipiti conquestrus esset . Adeò scilicet agrè is ferebat , arcum regiminis sui tentari , atque adeò delatores tum , publico exitio repertum genus hominum & pœnis nunquam satis coer- citum , per præmia eliciebantur . Sed ne delatoribus quidem opus semper erat , testante de eodem Tiberio Suetonio c. 49 . Cn. Lentulum angarem , cui census maximus fuerat , metu & angore ad fastidium vita ab eo actum , ut ne quo nisi ipso herede morevetur . conf. quoque Dio Cass. l. 58. p. 635. Fidem ferè omnem superant , quæ de Caligula Dio Cassius l. 59. p. 657. memorat : eum scilicet aleā ludentem , cùm deesse pecuniam audiret , Gallorum census indices poposcisse , jussisque ex iis locupletissimis necari ad collusores reversum atque professum esse , ipsos ob paucos ludere denarios , at se jam nunc ad sexies millies leſtertium coēgisse . Ridicula alia omnia sunt , quæ de eodem Cajo Sueton. in vita ipsius c. 38. refert . Testamenta primipilarium (ita ille) qui ab initio Principatus Tiberii , neque illum , neque se heredem reliquissent , ut ingrata rescidit , item ceterorum ut irrita & vana , quoçunque quis diceret herede Cæsare mori destinasse . Quo metu injecto , cùm jam ab ignotis inter-**

ter familiares, & a parentibus inter liberos palam hares nuncuparetur, derisores vocabat, quod post nuncupationem vivere perseverarent, & multis venenatas mactas misit. Non ablidunt ab his, qua de Domitiano idem c. 12. in vita ejus memorar. Adeo autem haec labes Rempublicam Romanam invaserat, ut sub Principibus etiam haud adeo malis duraret. Testatur id de Vespasiani regimine Tacitus l. 2. Histor. c. 84. ubi conditionem temporum istorum his verbis delineat: *Sed nihil aequum fatigabat ac pecuniarum conquisitio: eas esse belli ci- vilis nervos dictitans Mucianus, non ius aut verum in cogni- tionibus, sed solam magnitudinem opum spectabat. Passim de- lationes & locupletissimi quique in praedam correpti, qua gravia atque intoleranda, sed necessitate armorum excusata etiam in pace mansere: ipso Vespasiano inter initia imperii ad obtinendas iniurias haud perinde obstinato: donec indulgentia fortuna & pravis Magistris didicit aususque est.* Neque vero hic substituit callida Principum Romanorum rapacitas, sed ulterius adhuc progrevisa ingeniosior eriam esse coepit. Innuit technas haec Politicas ex parte iterum Tacitus in vit. Agr. c. 43. §. 8. ubi cum argumentum testamenti Agricolæ, atque conceptam inde Domitiani lætitiam commemorasset, suum hac de re judicium his verbis subjugavit: *Tam cœca & corrupta mens as- fidius adulatioibus erat, ut nesciret à bono patre non scribi ha- redem nisi malum Principem.* Habebatur quidem nunquam non summae prudentiae specimen & consanguineorum status ac fortunas in tutum collocandi efficacissimum remedium reddere Reip. aut Principi, unde provenerant, invidiosas divitias; sed apud Domitianum ne domesticæ quidem opes & quæ de Republ. avidius sumtæ non fuerunt, invidiâ carebant. Nec poterat sub eo quisquam res suas privatim sapientius ordinare, quam ut factâ partis jaeturâ reliquum servaret, non aiso scilicet ita Domitiano impugnare tefses ultimæ voluntatis tabulas, ne prolatum in iis de se judicium non agnovisse vide- retur. Alias exemplum Principum Romanorum imitati quoque sunt ministri ipsorum & magni liberti: id quod, ut unico saltem exemplo rem declaremus, vel ex regimine Galbae manifestum, quem Vinius, Laco & Icelus veluti mancipium re-

gebant & quorum hominum mores depingit eximiè Suet. c. 14. & seq. & Tac. inpr. c. 7. l. i. Histor. Jam verò si in privatorum etiam castra transeamus, non minores & ibi fraudes sele exserent. Referta sanè sunt Historia Romanæ (huc enim porissimum respicimus) monumenta exemplis violatæ fidei conjugalis cæde conjugum; opprestorum scelere filiorum parentum; & immolatorum in primis novercali odio privignorum; adeò ut iis temporibus, quibus innoxiam pastoriæ fœtæ integratatem & discusso Pœnorum hostium metu disciplinam veterem Roma exuerat, imaginem illa exhiberet Seculi ferrei, de quo Ovidius cecinit l. i. Metam.

*Vivitur ex rapto, non hospes ab hospite tutus,
Non sacer à genero, fratrum quoque gratia rara est,
Imminet exitio vir conjugis, illa mariti:
Lurida terribiles miscent aconita noverca:
Filius ante diem patrios inquirit in annos.*

Et si vel maximè hic Historicorum documentorum testimonio destitueremur, qua tamen innumeram exemplorum ejusmodi farraginem nobis suppeditant, satis superque tamen comprobarent hoc ipsum vel ea, quæ de voto captiudæ mortis passim civili Romanorum Jure inculcantur. Non defuerunt imò in tam inquinato scelerum monstrosi seculo, qui cautius flagitium aggressi-præparare quasi insidiis adulazione, obsequio, officiis eos fuere conati, quos captabant, amicitiam simulantæ, ut nocerent. Nihil enim frequentius tum fuit, quam veneni ope id efficere, ne ambulatoria esset ejus voluntas, qui jam hæredem designarat. Traducit hoc falsè more suo Lucianus in Dialog. VII. mort. Zenophantæ & Callidemidæ, ubi cum hic enarrasset, qua ratione Pœdorum senem orbum ac divitiam coluerit, subdit inde: se tandem rædio longavæ illius vitæ confectum compendiariam excoxitasse viam, quâ ad hæreditatem perveniret. Empto scil. veneno persuasisse se pocillatori, quem promissa libertate sibi mancipasseret, ut simulatque Pœdorus potum posceret, venenum in calicem injiceret. Sed factum inde esse conqueritur, ut puer in poculo errans Pœdoro innoxium, sibi verò infectum veneno potum porrexit, felici utique pincernæ errore, quod insidiæ ita in insidia-

rum

rum auctorem vertebantur. Minore alii scelere eandem viam
 sunt ingressi, subornato vel testamento suppositio, vel testatore:
 prioris fraudis exemplum Tacitus adducit in medium l. 14. Ann.
 c. 40. posterioris verò duo recentiora specimina recensentur à
 Julio Claro & Petro Cábollo, haud infimi nominis JCtis. Ex
 his ille l. 5. Recept. Sent. laudatus Carpzovio part. 2. Rer. Crim.
 quæst. 93. n. 32. suo tempore contigisse scribit casum, ubi mu-
 lier sagax maritum statim, postquam expiraverat, è lecto ex-
 trahi fecit, & aliui pro eo supposuit, qui fenebris thalami
 clausis & capite pannis involuto simulans se propter infirmi-
 tatem vix loqui posse, condidit testamentum, in quo uxorem
 instituit hæredem, & aliis personis diversa reliquit legata. Hic
 verò Resolut. Crim. c. 177. n. 12. ex Bossardo refert, extitisse
 filium quendam legitimatum, qui mortuo patre se supposue-
 rit in lecto patris jam mortui, & vocatis Notario & testibus,
 qui patrem eum esse crediderint, testamento condito seme-
 ipsum hæredem instituere non fuerit veritus. Rursus alii
 cā ratione crimen hoc incurunt, dum vel fieri testamentum
 vel factum revocari prohibent, vel, ut testamentum condatur,
 injecto metu aliquem adiungunt: qualia exempla subinde etiam
 in foro occurtere ex Consiliorum Compilatoribus abunde li-
 quer. Neque denique è crassiorum etiam Hæredipetarum
 censu excludendi sunt illi, qui criminum societate obnoxios
 sibi reddere eos nituntur, quorum bonis inhiant: èd pejores
 utique aestimandi, quod non sibi modò peccent, sed & alias
 ad peccandum incussa amittenda hæreditatis formidine pelli-
 ciant. Faciunt huc, quæ Plinius habet l. 7. ep. 24. Laudat ibi
 Quadratum Numidia Quadratillæ nepotem, quod severissime
 in delicate avia contubernio yixerit, nec sectatus sit pantomimi-
 mos, quos illa effusus, quam principi fœmina conveniret,
 fovebat. Inde verò aliorum nequitiam ita exagitat: *At her-
 cule alienissimi homines in honorem Quadratillæ (pudet me di-
 xisse honorem) per adulatioñis officium in theatrum curstabant,
 exultabant, plaudebant, mirabantur, ac deinde singulos gestus
 Domine cum canticis reddebat, qui nunc exiguisima legata the-
 atralis opera corollarium accipient ab herede, qui non spectabat.*

Sed properandum nobis nunc est ad alteram etiam captato-
 rum

rum nostrorum classem, detegendæq; paucis eorum etiam artes,
 qui fictâ liberalitate fūtisque amoris & reverentia pignoribus
 insidiari senum, orborum imprimis, quos præcipue se tantur,
 bonis consueverunt. Neque enim periculis tantum, uti vidi-
 mus, exposita est orbitas, sed & quandoque in auctoritate
 summâ & potentiatâ fuit, uti de suis temporibus conqueritur
 Plinius l. 14. H. st. Nat. in Proœm. Longum nimis & præter in-
 stituti nostri rationem foret, si singulas improborum horum
 fraudes enarrare speciatim vellemus, cum eò feracior ejusmo-
 di hominum mœlis sit, quò minore invidiâ illi apud vulgus
 laborant. Paucorum ergo tantum exemplis, qui artifices fe-
 ré in fertilissimo hoc quæstu extiterunt, materiam hanc illu-
 strabimus, eaque allegasse erimus contenti, unde facillimus ad
 nostra tempora transitus. Palmam sine dubio in hoc etiam
 improbitatis genere reliquis suo tempore præripuit Regulus,
 qui ex paupere & tenui hac potissimum ratione ad tam im-
 mensas pervenit opes, ut sperare ausus sit, millies & ducentes
 festertium se impleturum. Hujus fraudulentam in-
 escandis morituris solertia tribus exemplis illustrat Plinius l.
 2. ep. 20. Primum ita se habet: *Verania Pisonis graviter jace-
 bat, ad hanc Regulus venit. Primum impudentiam homina, qui
 venerit ad egram, cuius marito inimicissimus, ipsi invisi-
 fuerat. Esto, si venit tantum, at ille etiam proximus toro sedit,
 quo die, quā horâ nata esset, interrogavit: ubi audivit, compo-
 nit ularum, intendit oculos, movet labra, agitat digitos, compu-
 sat nihil, nisi ut diu miseram expectatione suspendat. Habes,
 inquit, climactericum tempus, sed evades: quod ut tibi magis
 liqueat, aruspiciem consulam, quem sum frequenter expertus.
 Nec mora: sacrificium facit, adfirmat exta cum siderum signi-
 fugatione congruere. Illa, ut in periculo credula, poscit codi-
 cillos, legarum Regulo scribit, mox ingravescit clamat moriens:
 O hominem nequam, perfidum ac plus etiam quam perjurum,
 qui sibi per salutem filii pejerasset. En hamum! quo egregiè ho-
 die adhuc fœminæ capiuntur, eò facilius, quò magis tui cu-
 ram geri exoptant, quæ minus merentur. Substitue modò
 aruspicias loco alias personas, & habebis imaginem no-
 stri seculi. Mirarer, cur non & Medicos accerferit Regu-
 lus*

lus, nisi & horum operā eum usum sequentia ostenderent. Ita enim mox pergit Plinius : *Velleius Blasius ille locuples Consularis novissimā valerudine conflictabatur : cupiebat mutare testamentum.* Regulus, qui speraret aliquid ex novis tabulis, quia nuper captare cum cœperat Medicos hortari, rogare, spiritum quoquomodo homini prorogarent. Postquam signarum est testamentum, mutat personam, verii allocationem, iisdemque Medicis : *Quoniam miserum cruciatis? quid invidetis bonam mortem, cui dare vitam non potestis?* O piām hominis misericordiam! mirum, ni & ipsum Medici cruciarunt, quod non Charonti citius ægrum transmisere. Et mortuus quidem mox Blasius, sed tanquam omnia audiisset, Regulo ne tantulum quidem. Pensavit tamen hanc mox jačuram nova muliebris praeda. Aurelia etenim (ita idem Plinius) ornata fœmina signatura testamentum sumserat pulcherrimas tunicas : Regulus cum venisset ad signandum, Rogo, inquit, has mihi leges. Aurelia ludere hominem putabat, ille serio instabat. Nec multa coegerit mulierem aperire tabulas, ac sibi tunicas, quas erat induta, legare: observavit scribentem, inspexit an scripsisset. Et Aurelia quidem vivit, ille tamen istud tanquam morituram coegerit. Hæc Plinius de Regulo, quem ex alio ferè expresserunt Eucratis captatores apud Lucian. in Dialog. Mort. V. de quibus Pluto ita ibide : ὃ δέ πάντοι ἔστι μαρτύριον, ὃτι καὶ τοιαῦτα εὐρύμενοι, οἵποι θεραπεύονται ἐγένετο τῷ φανερῷ, καὶ νοσήσοις, οἱ μὲν βαλεντίαι, πάσαι πελόνηαι, οἵσιν δὲ οἵποι ἐπιχρεῖσθαι, οἱ γάιοι. *Quod autem omnium sceleratissimum est, interea dum talia precantur* (ut scilicet mox Vmbbris misceatur Eucrates) *tamen observant & colunt manifeste utique illum.* Ac que agrotante illo apud se consultent, nemo ignorat, attamen sacrificaturos se promittunt, si convalescat denuo. Omnium optimè autem media, quibus arrogare sibi aliorum hæreditates gestiunt maleferiati homines, delineantur à Luciano in IX. Mort. Dial. quem locum, quia prolixior est, in gratiam eorum, qui Græcæ linguae rudes speculo hoc uti cupiunt, ex versione tantum Sambuci translatum hic inserimus. Hunc autem maximè in modum Polystratum felicitatem suam (quam orbitas conciliarat) deprædicantem eximius ille Satyricus inducit : *Principio nihil erat, quod non possem: præterea pueri formosi plures aderant, tum mulieres nitidissime,*

unguenta, vinum mirè fragrans, postremò mensa vel Siculis illis lauiores. Ad hæc Simylus, quem collocutorem Polystrato assignarat Lucianus: *Nova narras, nam ego te planè sordidum ac parcissimum esse sciebam.* Eximit hoc dubium mox Polystratus: *Atqui, vir præclare, ex alienis arcis opes mihi subscatabant.* Cum diluculo protinus quamplurimi mortales ad fores meas ventitabant, simulque ex omni rerum genere, qua terrarum ubivis pulcherrima reperiuntur, munera deportabantur. Miratus hoc Simylus, *Num me defuncto regnum gesisti?* inquit. Cui Polystratus: *Minimè! verū amantes habebam in numeros,* respondit. Rursus Simylus: *Non possum non rideare, tunc amantes? tantus natu cùm essem vixque tibi dentes superessent quatuor.* Iterum ergo Polystratus: *Habebam per forenem equidem optimates civitatis, cùmque essem tum senex tum calvus, sicuti vides, præterea lippiana etiam atque senio cœcutiens, postremo naribus mucosis, tamen cupidissime mihi inserviebant, adeò ut is felix videtur, quemcunque vel aspexisset modo.* Magis dubius Simylus: *Num tu quoque, interrogat, quemadmodum Phaon ille Venerem aliquam ē Chio transvexit,* ut ob id optanti tibi illa dederit, rursus ad juventam redire, ac denuo formosum atque amabilem fieri? *Haudquaquam* (regerit Polystratus) *quin magis, cum talis essem, qualcm dixi, tamen supra modum adamabar.* Simylus, *Ænigmata narras.* Polystr. *Atqui notissimus est hic amor, cùm vulgo sit frequens, nempe erga seno orbos divites.* Sim. *Nunc tua forma unde tibi profecta fuerit intelligo, vir egregie:* nempe ab aure illa Vener. Pol. *Veruntamen non parum multas commoditates ab amantibus tuli,* Simyle, *propemodum etiam adoratus ab illis.* Porrò sapius etiam quasi procax illis illudebam, excludens interdum nonnullos eorum: interim illi inter se decertabant, & in ambientis primis apud me partibus alium aliis anteire nitebatur. Crederes tempora nostra inspexisse Lucianum, adeò parum hæc ab iis abludunt. Neque verò intra hos terminos subsistunt Hæredipetarum nostrorum technæ, sed latius adhuc illæ patent, ita comparatis plerisq; mortalium, ut tum maximè sagaces existant, ubi minimè esse deberent. Audiamus iterum enarrantem novam fallaciam Lucianum nostrum in Dialogo VIII. Mort. Ita nimirum ibidem turpi confessione se prodit

Cne-

Cnemon, quem ille sic loquentem fingit: *Hermolaum nobilem illum divitem, cum orbis esset, imminente morte captabam affidens atque inserviens: neque ille gravatim officium meum admis-
tebat.* At interim illud quoque mihi visum est scitum consultum-
que, ut testamentum proferrem ac publicarem, quo illum rerum
mearum in solidum heredem institueram, nimurum ut ille vi-
cissim idem ficeret meo provocatus exemplo. Jam verò si pau-
lò accuratius perpendamus ea, quibus acerbè tam vulgare se-
culi sui vitium perstringit Horatius l. 2. Sat. 5. perspiciemus
utique, eandem temper in vita humana ludi fabulam, nec dra-
ma sed personas mutari. Certè quod ultimo loco Tiresias
Vlyssi tanquam præceptum artis Chrematisticae inculcat, ut
voto suo jam potitus obitum senis, quām fieri potest, acerbè
lugeat, vultum hilarem fictis verbis, unāque aut alterā falsā
lachrymulā asperfā celat, memoriamque ejus extracto sepul-
chrali monumento adoratāque magnificè funebri pompa
prosequatur, quām familiare id hodiè iis est, qui hanc artem
professi ejus obitum jātantius mōrent, quem interiisse maxi-
mè latantur. Porro quām apprimē faciem seculi nostri idem
expressit, dum cecinīt:

*Illud ad hac jubeo: mulier si forte dolosa
Libertusque senem delirum temperet, illis
Accedas socius: laudes, lauderis ut absens.*

Ita scilicet passim pro magnifico accipitur, innotescere libertis
& janitoribus etiam ejus, quem aucupamur. Illud verò pror-
sus astutum, quod Flaccus paulò ante inculcavit:

*Sicui præterea validus male filius in re
Præclarā sublatius aletur, ne manifestum
Cœlibis obsequium nude te, leniter in spem
Arrepe officiosus, ut & scribare secundus
Hares: & si quis casus puerum egerit orco,
In vacuum venias. Perraro hac alea fallit!*

Non aliunde certè creberrimæ illæ in testamentis occurren-
tes substitutiones atque fideicommissa emanarunt: quæ qui-
bus artibus vulgo eliciantur, & iis notum est, qui nesciunt,
quid distent æra lupinis. Id nimurum hac ratione intendi-
tur, ut non ad cœlibes tantum arreperi necesse sit, sed ad alios

etiam eò minore infamiā, quò minus artificium proditur. Superaddi his potest alia adhuc captandi hæreditates ratio, ceteris utique frequentior, quòd turpis professionis infamia intra paucos delitescit. Notarios namque, quorum plerumq; est ultima voluntatis tabulas consignare, missis munieribus aliquis modis, concessâ etiam quandoque prædæ parte, conciliare sibi vultures istiusmodi solent, quò eorum commendatio apud testatorem accedat eò majori efficaciâ, quò presentius in ipso confiendi testamenti articulo interponitur, ubi plerumque consilii momenta non adeò anxiè pensitantur. Tandem & illud observare licebit, olim æquè ac hodiè non defuisse, qui sub adoptionis prætextu non tam solatium orbitati, quâm titulum successionis in hæreditatem adoptati quæsiverunt, adeò vulgari apud Romanos labo, ut plurimis remedii opus ea haberet.

Emensi jam essemus immensum hoc improbaritis pelagus, nisi attingenda etiam paucis forent Clericorum auecupia. Vtina verò præterire silento possemus, quæ deplorare satius foret; sed quid juvat omittere ulcus, quod cunctorum oculis expositum est. Non derogamus enim ob id quicquam reverentiaz, quam dignis sanctissimi Numinis ministris debemus: non detrahimus quicquam honori, quo prosequi jubet pietas eos, quos Deus admirandorum mysteriorum suorum dispensatores selegit. Horum enim probitas vel ex nequitiae comparatione magis elucescit. Et si qui sunt, qui invasionis ob id Ecclesiasticos à nobis argui agravius ferunt, iis opponimus elegantem apud Ambrosium locum, serm. 7. de Cler. ubi huic objectio ni Sanctissimus ille Mediolanensis Praeful hunc in modum satisfacit. *Licer dicere possimus: Nemo nos invasionis arguit, violentia nullus accusat. Quasi non interdum majorem prædam à vidua blandimenta elicant, quam tormenta: Non intereft apud DEum, utrum vi an circumventione quis res alienas occupet, dummodo quoquo pacto reneat alienum.* Neque verò veremur, ne in Hæreticorum censum à tam degeneris mercaturæ sociis aut patronis ob hoc ipsum redigamur, cùm consentientes hic nobiscum producere queamùs doctissimos primitivæ Ecclesiæ patres. Laudatus jam Ambrosius l. 3. Offic. c. 9. non defuisse ostendit, qui continentiaz atque gravitatis simula-

mulatione aucupabantur hæreditates: quod abhorre ait à proposito Christiani. Artes sordidi adeò quæstus à Clericis adhibitas acerbè perstringit Hieronymus ep. 2. ad Nepot, quæ ferè tota huc spectat. Inter alia & hæc ibidem habentur: *Audio præterea in senes & annis absque liberis quorundam turpe servitum. Ipsi apponunt matulam, obſident lectum, purulentiam ſtomachi & phlegmata pulmonis manu propriâ ſuſcipiunt.* Paventi ad introitum Medici: tremenſibusque labiis, an commodius habeant, ſcifirantur: & ſi paululum ſenex vegetior fuerit, periclitantur simulataque letitiā mens intrinſecus avara torqueatur. Timent enim, ne perdant ministerium: & vivacem ſenem Marthuſalem annis comparant. O quanta apud Deum merces, ſi in praefenti pretium non ſperarent! Quantis ſudoribus hereditas caſſa expetitur? Minore labore margaritum Christi emi poterat. Idem Hieronymus ep. 22. ad Eustochium alios adhuc, quibus Clerici avaritiam fuam & alienis patro-moniis inhiandi cupiditatē velate conantur, modos deſcribit. Nam cùm recenſuſſet, cur ſuo tempore viduitatem plures ex-petierint, haec ſubjugit: *Clerici ipſi, quos & magiſterio eſſe oportuerat pariter & timori, oſculantur capita matronarum: & extenſa manu, ut benedicere eos putes velle, ſi neſcias, pre-tia accipiunt ſalutandi.* Addit his poſtea: *Quidam in hoc omne ſtudium vitamque poſuerunt, ut matronarum nomina, do-mos moresque cognofcant.* Ex quibus unum, qui hujus artis eſt princeps, breviter ſtrictimque deſcribam, quo facilis Ma-giſtro cognito diſcipulos cognofcas. Cum ſole festinus exſurgit, ſalutandi ei ordo diſponitur, viarum compendia requiriuntur, & penè uſque ad cubicula dormientium ſenex importunus ingredi-tur. Si pulvillum viderit, ſi mantile elegans, ſi aliiquid dome-ſtica ſupelleſtilis, laudat, miratur, atrectat, & ſe hiſ indigere conuerens non tam impetrat, quam extorquet, quia ſingula me-tuunt veredarium urbis offendere. Quodſi verò iſtis jam tem-poribus ager Domini pravis adeò germinibus fuit refertus, qui-bus tamen tanto impetu à priſcâ Christianorum ſimplicitate diſceſſum nondum fuerat, quid boni ſperandum de noſtris, quibus pietatis potius fucum quam pietatem ſectari egregiis alliſ viris proficuum habetur. Graviora uite nos mala ur-gent,

gent, quò astutiore ea consilio teguntur. Quid enim solennius, quām ut ii, qui sibi partem alieni patrimonii exoptare non erubescunt, Ecclesiae eam expertant, probè gnari, Ecclesiae appendicem se futuros? Quid frequentius, quām ut religionis praetextu illudatur credulorum animis, quasi rem Deo gratam faciūti illi sint, qui consanguineorum curam cœlestis Numinis ministris postponunt? Et quid vulgarius denique, quām de-pradicatā aliorum erga Ecclesiam liberalitatem, spe beatitudinis aeternæ, & vanæ sanctitatis famâ inescare incertos, incertum majori horum superstitione an flagitio istorum, qui turpissimâ adulatione nundinationeque sclesti esse haud verentur. Non allegabimus complura, quæ in promptu, hujus rei exempla: percurrentur modò illorum seculorum monumen-ta, in quibus temporum barbaries Historiam scribendi necessestatem Clericis imposuit, & cuvis manifestum fiet, nullis non injuriis illorum Principum onerata memoriā, qui Ecclesiasticorum redditus non auxerunt; eorum verò flagitia, qui liberales se isti Ordini exhibuere, vel silentio involuta, vel dissimulatione obducta, vel excusatione denique extenuata fuisse. Adeò scilicet inter arcana avaritiae Clericalis quoque computandum, injicere malæ apud posteros famæ metum. Quamvis autem uti vidimus, teat̄a ut plurimum arte illaqueare dolorum rudes corvi nostri soleant, non tamen arduum omnino erit, ab aliis eos discernere. Finge enim excidisse quospidam spe suâ, quâ alterius hæreditatem jam devoraverant, mox illi fictum, ingratum, immemorem clamitabunt, quem ante coluerant, sequè ipsos, dum infectantur illum, turpisimis confessionibus prodent, dum de eo, uti de patre, avo, proavo quasi orbi querentur. Vid. Plin. l. 8. ep. 18. Et si qui sunt, qui liberalitatem, comitatem pieratemque suam in sinistriorem, quām par est, trahi partem palam dolebunt, iis Martialis epigramma licebit opponere, quod est 56. libri 4.

*Munera quod senibus viduisque ingentia mittis,
Vis te munificum, Gargiliane, vocem?
Sordidius nihil est, nihil est te spurcius uno,
Qui potes infidias dona vocare Tuas.*

Sic

Sic avidie fallax indulget piscibus hamus,

Callida sic stultas decipit esca feras.

Quid sit largiri, quid sit donare docebo,

Si nescis, dona, Gargiliane, mibi.

Superest nunc, ut colophonem capiti primo imponamus enarratione fatorum, qua secunda modò, modò adversa Hæreditati nostri experti sunt. Neque enim ubique scopum, quem intenderunt, sunt assediti, sed fecellit etiam eos subinde spes, deceptis, qui decipere alios conabantur. Et crassiores quidem istos, quos prima classis comprehendit, detectæ saepius technæ debitæ suppliciis addixerunt; subtiliores vero & ipsi nonnunquam elusi ab iis, quos eludere constituerant. Alios quippe præmatura mors rebus humanis exemit, antequam fructus artificii sui perciperent: alii hanc improvidi indulserunt, quem alii porrexerant, dum iis relinquere bona sua sunt coacti, quorum bona ad se rapere gestiebant: aliis denique apertæ ultima voluntatis tabula indignationem & lachrymas non jam fictas extorserunt. Prostant passim innumera hujus rei specimina: non injucundum ergo erit, unum & alterum ex iis feligere. Lucianus præcipue in Dialogis mortuorum maximam partem in eo occupatus est, ut seu veris seu fictis exemplis acerbè admodum irrideat sinistra Hæredipetarum fata. In Dialogo V. Eucrates senex sistitur, cui liberi quidem nulli, hæreditatis autem captatores plus quam 50. millia exterunt. Fingitur is scitè admodum eos circumduxisse, qui cadaver suum expectabant, lactasse diu inani spe, semperque morituro similem validum magis exitisse, quam quenquam juvenem. Illos interim divitis quasi per somnum destitutos unum post alterum decepisse, ante Eucratem tamen omnes. In Dialogo sequenti Terpsio apud Plutonem conqueritur, quod ipse fato functus sit non nisi 30. annorum juvenis, Tucritus autem, 70. & ultrâ annorum silcernium, aurâ adhuc fruatur. Ita autem inter alia ibidem fata sua deplorat: *Quantum meorum ille (Tucritus) devoravit, cum semper eum mori putarem: as quoties ingrediebar gemendo & internum quiddam perinde argue ex ovo pullus aliquis immaturus stridendo agrititudinem simulabat. Vnde quanto citius eum ad sepulchrum duci existimat.*

Fata Hæreditati
petarum.

mabam, tanto plus illi donorum mittebam, ut ne ii, qui amore concurrebant, muneribus me praelaris vincerent. Plerumque etiam pre nimia sollicitudine insomnis jacebam, singula enumeraens ac unumquodque disponens. Eaque etiam causa interitus mei fuit cura & vigilia. Ille autem deglutito hoc illectamento meo adstinxit mihi, quando sepeliebar, paulo ante irridens. Scilicet non orbi tantum in quaestu alis esse cœperant, sed & ipsis orbis orbitas, eod minus improbanda arte, quæ non nisi in scelestos exercebatur. Magis ridiculè adhuc fatum suum exponens exhibetur Cnemon Dialogo VIII. Instituerat is hæredem Hermolaum palam, ut exemplo eum ad idem incitaret, mutatus mox, ubi vacaverit, hæredis institutionem. Sed mox tecti ruinâ repente oppressus hæredem reliquit, cui hæres existere anxie cupiebat. Simile ferè est Dialogi XI. argumentum. Mœrichum divitem Aristeas & ipse dives captabat, & vicissim ab illo captabatur. Jam adulatioibus illi obsequiisque superare se contendebant, jam testamenta publicaverant ambo, in quibus Mœrichus, si prior moreretur, Aristeam omnium rerum suarum Dominum relinquebat, Mœrichum vicissim Aristeas, si ipse prior vitâ décederet. Jam varates, augures, Chaldaïque, & ipse imò Pythius consuli: nunc Mœrichum, nunc Aristeam vietorem fore pronunciabant: cum utrumque spes, quam conceperant, frustrata est. Periere ambo & eodem quidem momento ab undis in tempestate absorpti. Aliud adhuc delusa improbitatis specimen commemorat idem Auctor Dialogo IX. Narraverat ibi, uti audivimus, Simylo Polystratus, quem felicitatis cumulum orbitas sibi attulisset, quæstusque inde, quid ipse de facultatibus suis statuerit? responderet: Palam quidem affirmabam, me unumquemque illorum relieturum hæredem, idque illi cum crederent futurum, certatum se quisque obsequentiorem atque adulantiorem præbebat. Ceterum alteras illas verus tabulas, quas apud me servaveram, reliqui, in quibus omnes plorare iussi. Denique & Plinius l. 8. ep. 18. exemplum decepti captatiovis commemorat his verbis: *Falsum est nimis quod creditur vulgo, testamenta hominum speculum esse morum, cum Domitus Tullus longe melior apparuerit morte,*
quam

quām vitā. Nam cūm se captandum præbuisset, reliquit filiam hæredem, quæ illi cum fratre communis, quia genitam fratre adoptaverat. Prosecutus est nepotes plurimis jucundissimisque legatis: prosecutus etiam pronepotem. In summā omnia pietate plenissima, ac tanq; magis, quoniam inexpectata sunt. Paulò pōst hoc iudiciū subiungit: Alii contra hoc ipsum laudib; ferunt, quod sit frustratus improbas spes hominum, quos sic decipere pro moribus temporum prudentia est. Sed hac de re prolixior erit in capite secundo differendi locus, ad quod meritō nunc transiimus, memores Juridicam in primis diatribam à nobis institutum nostrum exigere.

C A P V T II.

*Judicium Juridicum de Hæredipetis**comprehendens.*

Xposuimus hæc tenus ea, quæ ad formandam generalem de Hæredipetis Ideam sufficere nobis videntur: progredi mur nunc ad alterum Dissertationis nostræ membrum, inquisitu ri quoque in ea, quæ de his in variarum Gentium Juribus dis posita inveniuntur. Eo autem ordine hac in re incedemus, ut, enucleatis naturalis Juris fundamentis, Hebræorum, Græcorum, Romanorum Germanorumq; diversas Legislationes subiungamus, quib; obviā illæ invalēcenti adeò passim malo ire annisæ sunt. Duæ sunt successionis in bona defuncti species, ab intestato una, altera testamentaria. Vtriusque indolem si per pendamus accuratiis, facile patebit, longè favorabiliorem esse, quæ à Lege præscribitur, succedendi rationem, quām eam, quæ à testatoris voluntate determinatur. Innititur namque illa præsumptioni, quam ex natura charitatis humanæ recte ordinata adeò fortē naturalis æquitatis dictamen format, ut non nisi exceptionis à regulâ conditionem habere altera possit. Ne que enim ex Domini naturâ necessariâ ratione resultat facultas disponendi de bonis suis eo cum effectu conjuncta, ut post mortem etiam valeat, cùm nihil utique impedit, quod minus vires Domini intra Domini vitam restringamus. Non erit ergo nisi Juris naturalis permissivi testamenti factio, nec ab o-

*Fundamenta
Iuris natura
lis circa Hæ
redipetas.*

mnibus etiam gentibus recepti, cùm successio ab intestato præscripta certo modo à naturali æquitate sit, omnibusque omnino gentibus communis existat. Inde tamen illud nemo facile afferuerit, juri nature repugnare, ut quis possit de suis rebus disponere eo tempore, quo Dominus est, & effectum conferre in tempus, quo futurus Dominus non sit: potius extra omnem controversiæ aleam positum est, quod ubi se-
niel & altera succedendi ratio, testamentaria nimurum, recepta est (quod unicè à voluntate Legislatoris dependet) id sedulò caveatur, ne quāminimum à voluntate defuncti abeat, modò illa non repugner succedendi ordini à naturā præfixo. Non iverit certè temere inficias quisquam plures militare rationes, quæ, ut à Legislatore testamenti factio privatis non adimatur, suadere videntur. Verissima sunt, quæ Quintilianus habet Declamatione 308. In more civitatis, in Legibus possum est, ut, quotiens fieri potuerit, defunctorum testamento stetur: idque non mediocri ratione. Neque enim aliud videatur solarium mortis, quam voluntas ultra mortem: alioqui potest grave videri & ipsum patrimonium, si non integrum Legem habet, & cum omne ius nobis in id permittitur viventibus, adimatur morientibus. Nec parum cum æquitate convenit, quod Plinius profitetur l. 7. ep. 7. sibi defuncti voluntatem antiquiori rem lege fore, cùm eam bonis hæredibus intellexisse pro jure sit. Vid. idem l. 4. ep. 10. Quantò magis vero æquitatì consenteum esse constat, ut defuncti voluntas veluti norma custodiatur, tantò atrocius utique illi peccant, qui fraudulentis artibus id agunt, ne sana illa, integra liberaque proferatur. Agno-
verunt hoc etiam Romani, qui cùm alias actum, vi metuque inusto elicitorum, nullum pronuntiare ipso jure non auderent, subsidiarium restitutionis in integrum remedium introduxisse satius censentes, non dubitarunt tamen pro nullo venditare testamentum, sive dolo sive vi meoque extortum, probè nimurum gnari, non alibi liberiorem esse debere sibique magis relictam voluntatem, quām ubi ultima est. vid. t. t. D. si quis aliq. test. prohib. l. 20. §. f. qui testam. fac. poss. Jam verò quā ratione indignius libertati ultime voluntatis frānum injicitur, quām iis artibus hæredipetatum, quas fusius cap. I.

recen-

recensuimus? Et quid de iis quidem sentiendum, qui aperto
scelere, intentato nimirum per calumniam Majestatis criminis,
propinato veneno, atque subornato testamento testatoreque
lirare improbae involaudi in haereditates aliorum cupiditati sol-
lent, adeo manifestum est, ut ne explicatione quidem indi-
geat: magis ergo opera pretium nos facturos confidimus, si
examini subjiciamus eorum artificiorum moralitatem, quæ à
subtilioribus testamentorum captatoribus adhiberi supra jam
indigitavimus, deraucturi simul larvam personæ, quam suis il-
li technis imponere solent, quod in omni casu difficillimum
esse Stoici haud immerito autumarunt. Videri sanè ab initio
posset nihil magis honestatis præceptis congruum, quam be-
nefaciendo alterius gratitudinem elicere, cum iniquum foret, si
beneficii statim gratia periret, ubi ingratus alter esse recusat.
Neque enim, quod orbi præcipue viduæque beneficiis colan-
tur, improbandum adeo videtur, cum hos præcipue coli pium
sit, qui destitutuntur fulcris, qua benignior aliis natura assi-
gnavit. Omnium sanè Gentium leges, omnium prudentum
effata, & ipsius denique cœlestis oraculi scita misericordiam
erga flebilis adeo conditionis personas inprimis exigunt. Sed
& non adeo Naturale Jus liberis aut parentibus bona defun-
cti addicit, ut improbet illum morem, quo libera disponendi
facultas vel ex parte saltem conceditur: cumque nullibi vivis
denegetur donandi facultas, cur denegaretur ea morientibus?
Sed non sunt hæc nisi schemata, quibus obumbrari ab affeclis
tam fœderæ sectæ, sectæ ipsius fœditas solet: non enim liberali-
tatem erga quosvis, non pietatem erga viduas orbosque culpa-
mus, sed qui sub harum virtutum integramento later anguis
in herbâ. Hoc scilicet illud est, quod Aristoteles callido ora-
tori insinuat, debere ipsum τὴν ὀρεζυς τοῦ ὑπάρχοντος λαμβάνειν,
id est, si rei, personæ aut factis labes quedam insit, quam ce-
lare ipsius intersit, circumspiciendum ipsi esse, quid labi illi
sit propinquum, & non tantum à vituperatione immune, sed
& laudis compos: quemadmodum Ovidius quoque instruit
amatorem l. 2. art. Amat. v. 637. & seqq.

*Nominibus mollire licet mala: fusca vocetur,
Nigrior Illyricā cui pice sanguis erit.*

Si pecta est, Veneri similis; si flava, Minerva;
Sit gracilis, macie qua malè viva suā est.
Dic habilem, quacunque brevis; qua turgida plenam:
Et lateat virtutum proximitate boni.

Ex fine nempe & intentione agentis metiendam esse cū-
jusvis actionis moralitatem, in confessō apud omnes est: illa
autem non nisi amore virtutis terminari debet, aut saltem al-
terius injuriam non continere, ut in honestarum actionum cen-
sum referri possit. Quo autem scopo fictam suam liberalitatem
pietatemque hereditipeta nostri exerceant, manifestum est. Li-
beralis certè dici non potest, qui drachmam expēndit, ut tal-
lentum lucretur; nec pius erga viduas orbosque, qui negle-
ctis iis, quæ ope ejus maximè indigent, eas tantum lectatur,
quæ remunerari amplè beneficia possunt. Audivimus jam,
quid hac de re Martialis sentiat; videamus nunc etiam Sene-
cæ judicium eximium sanè, quod occurrit l. 4. de Benef. c. 20.
Ingratus est (ita ille) *qui in referenda gratia secundum da-*
tum videt, qui sperat, cùm reddit. *Ingratum* voco, qui ego
affidet, quia testamentum facturus est, cui de hereditate aut
de legato vacat cogitare. Faciat licet omnia, quæ bonus ami-
cus & memor officii debet, si animo ejus obversatur f̄s, capta-
tor est, & hamum jacit: ut aves, que laceratione corporum alun-
tur, lassa morbo pecora & casura e proximo speculantur; ita hic
imminet morti, & circa cadaver volat. *Gratus* animus ipsâ
virtute propositi sui capitur. Respondent his, quæ idem tra-
dit ep. 95. *Amico agro aliquis affidet, probamus;* at hoc si he-
reditatis causâ facit, vultur est, cadaver expectat. *Eadem* &
turpia sunt & honesta. Refert, quare aut quemadmodum siant.
Omnia autem honestè sient, si honesto nos addixerimus, idque
unum in rebus humanis bonum judicaverimus, queque ex eo
sunt. Et refragatur profecto eò magis hereditipetarum nostro-
rum fallaciis, fānæ rationis dictamen, quòd non possint ferē
non illa cum voto captandæ mortis alterius esse conjunctæ.
Cùm ergò socialitatis in primis vinculo provida homines na-
tura seu auctor potius ejus Deus sociarit, cùm inde universa-
lis Jurisprudentia præcepta emanarint, cùmque denique hoc
discrimine bruta ab hominibus secernantur, quām non natu-
ralis

ralis Juris normæ repugnare illum credendum est , qui firmissimum hunc , unde civilis hominum felicitas dependet , nemum , quantum in se est , vel voto saltem dissolvit , rumpit , dilacerat ? Egregiè hoc iterum more suo expressit Seneca l. 4. de Benef. 38. *An tu Aruntium & Aterium & ceteros , qui capiandorum testamentorum artem professi sunt , non putat eadem habere , que designatores & libitinarios vota ? Illi tamen , quorum mortes optent , nesciunt : hi familiarissimum quemque , ex quo propter amicitiam ffei plurimum est , mori cupiunt . Illorum damno nemo vivit : hos quisquis differt , exhaustus . Optent ergo non tantum , ut accipiant , quod turpi servitute meruerunt : sed etiam , ut tributo gravi liberentur . Non est itaque dubium , quin hi magis , quod damnatum est in uno , optent : quibus quaque morte profuturus es , vita nocet . Optimè ! mi Seneca , ni & ipse Romæ testamenta & orbos veluti indagine cepisses . Sapientiā certè & philosophorum praeceptis intra quadriennium regiæ amicitia ter milles festertiū paravisse vix videris . Vid. Tac. l. 13. Ann. c. 42. Dio Cass. l. 62. p. 701. Illud interim certo certius est , dari inter ipsos etiam subtiliores testamentorum aucupes quosdam veluti nequitia gradus , cum extra dubium sit , quin atrocius illi peccent , qui patrimonium defuncti sparsis etiam quandoque dissidentia & disfidiorum feminibus eripere iis conantur , quibus id naturale jus excellentiore quadam ratione adjudicat . Fluit hoc ex ipsis gradibus inclinationis naturalis erga suos , quibus universa successio ab intestato innititur . Nam cum Legislatoria prudenter inde colligat , quemque voluisse hæreditatem relinquere iis , qui charitate proximi fuerunt , facilè inde fluit , obligationem etiam relinquendi laxiorem esse , prout amoris gradus remissiores sunt . Inde ergo fortius jam jus producit propensio cuiusvis ergo liberos , quibus necessariò parentes , quia vitam dedere , etiam de alimentis prospicere tenentur , ne novum ipsis existat generationis beneficium . Alterum locum occupat amor liberorum erga parentes , quibus & ipsis ex mutua gratitudinis lege de commodâ vita sustentatione propiscere ii tenentur , quos generarunt : id quod ἀντελαργὴ Philosophis communiter audit . Ultimò denique in hunc censem*

sum etiam veniunt fratres ultiorumque graduum propinqui, eò remissiore nexu, quò longius à communi stipite disceditur, & in plures amor dispergitur. Et his quidem ut bona à defuncto deferantur, nullum naturalis rationis præceptum postulat, sed præfert tamen eos ceteris paribus aliis, qui vel remotiore gradu familiam attingunt, vel extra eandem omnino constituti conspicuntur. Est quippe in hoc genere prima causa ejus, quod debetur; proxima ejus, quod etsi non debetur, officio tamen congruit. Vide fuis hæc exponentem Grot. de J. B. & P. l. z. c. 7. §. 3. & sqq. Prout ergo vel lege, vel officio tantum proximis relinquendi hereditatem necessitas continet, ita levius etiam atrociusve peccant, qui evertere naturalem hanc succedendi rationem fraude nituntur. Non latebant hæc Hadrianum Imperatorem, de quo Spartanus in vita ejus c. 18. testatur: *enm ignororum hereditates repudiasse, nec notorum accepisse, si filios haberent.* Atque ita illud quidem jam constat, haud infimæ improbitatis speciem esse defunctorum bonis insidiari: sed cùm ex quovis delicto de naturali etiam jure obligatio quædam descendat; & illud considerandum nunc erit, ad quidnam ex hoc crimen delinquentes aliis obstringantur? Carere ipsis debere fructu nequitia suæ, vel commune illud J. Ctorum axioma, in ipsâ sanâ ratione fundatum, manifestum, facit: *Nemini prodesset dolum suum debere.* Sed non est angustis adeò limitibus includenda obligatio eorum, penitus utique enucleanda. Princeps ille Peripateticæ sectæ, Aristoteles, in Nicomachicis suis delicta inter συναλλάγματα invita retulit: à cuius doctrinâ ut hac in re recedamus, argumenta à Puffendorffio prolatâ extorquere à nobis nondum potuerunt, cùm lex hîc omnino delinquens consensum ex primo Juris naturalis principio præsumat atque suppleat: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Sed cùm varia sit pro varietate delicti damna que dati ex delictis resultans obligatio, in tres fontes dispergere eam cum Illustri Schiltero poterimus. Primo namque delinquens ex lege suum cuique tribuendi obligatur ad restituendum tantundem, quantum ademerat: inde ex lege de non lèdendo consensisse quoque in id à Lege præsumitur, ut quantum

tum ex delicto læso abest, seu quantum ipsius interest, nefas
 perpetratum non fuisse, ipsi relarcatur: & hoc refer rei, in
 quâ dānum injuriā datum, accessoria, fructus scilicet tam
 perceptos quām percipiendos commodè spemque lucri ex re
 istâ juxta propinquitatē ad actum astimandam, deducit
 ramen prius impensis in alterius utilitatem cedentibus. Vid.
 Grot. l. 2. c. 17. ab init. Tandem reus etiam tenetur ad sustinen-
 dam pœnam, sanctionibus illius Republicæ, cuius mem-
 brum existit, aut cuius membrum delinquendo se facit, de-
 terminatam. Quamvis enim, ut recte Grotius l. 2. c. 20. phi-
 losophatur, universalis Jurisprudentia nullam præcisè pœnam
 reis irroget, obligat tamen eosdem, ut ne subtrahere se possint
 supplicio, quod Legislatoria prudentia criminis cuivis dicta-
 vir. Quodsi ergo hæc jam fecerit, de quo nobis sermo, ap-
 plicemus, evidens erit, testamentorum captatores non modò
 obstringi ad restitutionem ejus, quod ex alterius patrimonio
 consecuti sunt, sed & teneri ad satisfactionem iis, quorum
 interest, id est, quibus alià bona obvoluta fuissent, ratione
 fructuum & spei lucri, quod verosimiliter ex re, quâ alteri
 fraude rei circumvento carendum fuit, percipi potuerat: imò
 non posse improbum ejusmodi falsitatis artificem subterfuge-
 re pœnam, quam vel Leges huic nequitæ dicant, vel in ea-
 rum defectu ex arbitrio Judex. Objici quidem his posset,
 quod, cùm de naturali jure non nisi alimenta liberis à paren-
 tibus & his vicissim ab illis debeantur, illis salvis existentibus
 aut ratione ulteriorum cognatorum non debitum, nemo de fa-
 etâ sibi ab hujusmodi captatore injuriā jure conqueri possit,
 cùm nemo adsit, qui jus quæsumum habeat vindicandi hære-
 ditatem istam. Sed non opus erit Alexandri gladio, ut no-
 dus hic solvatur. Non diffitemur quidem, legitimam liberis à
 parentibus & his vicissim ab illis non deberi, nisi quatenus il-
 la alimenta complectitur; reliquis verò omnino non deberi.
 Sed nec illud diffiteri quisquam poterit, unicuique in genere
 saltem inesse facultatem capiendi quicquam ex hæreditate al-
 terius, modò indignus non sit. Huic ergo capacitati si obex ab
 alio ponatur, dum restator vel dolo vel metu circumventus bo-
 na sua ei relinquere impeditur, dānum jam erit ipsi injuriā

D

datum;

datum; unde consequens est, impedientem istum ad triplicem
hanc pœnam subeundam teneri. Accuratè hic confusionem
aliorum evitavit Grotius l. 2. de J. B. & P. c. 17. n. 3. ubi inter
alia ita loquitur: *Sed cavendum, ne confundantur, quæ diver-
si generis sunt: sic enim civis aliquis non indignus, et si jus pro-
prium ad officium aliquod non habeat, habet tamen verum jus
petendi juxta alios: in quo jure si per vim aut dolum impedia-
tur, jam non totius rei expedita, sed incerti illius damni estimati-
onem exigere poterit. Simile erit in eo, cui ne quid legaret,
testator vi vel dolo fuit impeditus: nam capacitas legati jus
quoddam est, cui consequens, ut libertatem testatoris in eo im-
pedire injuria sit.* Vnicum adhuc circa fundamenta Juris-
prudentiae universalis indagandum superest, nempe, quid de
iis sentiendum, qui aucupes nostros inani futuræ successionis
spe lactatos cludunt? Audivimus jam à Plinio hoc ipsum inter
doli boni exempla relatum; non desunt tamen à probabilitate
haud planè aliena argumenta, quæ contrariam sententiam
persuadere cuiquam poscent. Adimplenda sanè exactè pro-
missa, pactisque, quibus alteri data fides fuit, accuratè stan-
dum, vix ullus sanæ mentis dubitaverit, cum hoc præcipue
vinculo socialitas inter homines continetur, quo sublatu im-
probitatis artibus latè porta aperietur. Id quod ipsum tum
eo magis locum habet, ubi data fides beneficiis aliorum inni-
titur, quæ elicere grata mentis spe, & hanc mox destituere pro
subdoli animi signo merito habendum. Porro & illud evi-
dens, non permissum esse callido ambiguoque sermonis usu
alios decipere, cum finis sermonis præcipuum sit, ut socialis
inter homines vita conservetur promoveaturque, qui minimè
obtinetur, si fas foret ope ejus promissa cludere. Videtur enim
quisvis obstrictus esse, ut eo modo sermone utatur, quo alterum
percepturum animi sui sensa confidit, facitque hoc gen-
eralis illa Juris naturalis regula: *Quoties aliorum damna aver-
tere tenemur (tenemur autem semper, quia commune hoc est
humanitatis officium) toties tenemur animi nostri sensa signis
liquidis sermoneque recepto pandere.* Non obstant tamen quæ
dicta sunt, quò minus hac quoque in re judicio Plinii supra à
nobis allato calculum nostrum adjiciamus: digni enim sunt
ejus-

ejusmodi fraudum artifices , qui decipientur , cùm alios de-
cipere satagant. Et servanda quidem sunt promissa , sed
tum non , ubi dolus eis ansam dedit : ubi si servarentur ,
præmis adhuc scelerorum malitiosa improbitas demulcere-
tur , atque ad majora in posterum audenda instigaretur. In-
congruum namque foret , si quis fraude jus quæstum acquirere
posset , cùm idem illud jus , quod firmitatē pacis adstruit , da-
met etiam non ipsam nequitiam modō , sed & nequitia
mercedem. Maximè verò hæc locum tum habent , ubi Legi-
bus Reipublicæ pacis de successione viventis vel improban-
tur , vel eatenus saltem enervantur , ut efficiacia eorum & vis
mutatione animi pacientis tolli possit. Quamvis enim hoc
ipsum naturali jure præceprum non reperiatur , non impedit
tamen illud etiam , quō minus , pensitato seculi genio & ma-
lorum in Republicā gliscientium naturā , tale quid à Legisla-
tore humano statuatur. Neque alterum , quod objicitur ,
rem magis conficit : opponi enim isti de sermonis usu axio-
mati axioma aliud potest , itidem in scopo sermonis funda-
tum : *Quoties aliorum non intereat , secreta animi nostri
nosse , toties tacere aut alienis signis uti licet , idque ad-
huc multò magis , si veritatis dissimulatio in aliorum utili-
tatem cedit.* Et si vel maximè non desint veterum scri-
ptorum loca , quibus dissimulatio pro fraudis crudelitatis-
que integrimento venditatur , ea tamen non nisi de eâ erunt
intelligenda , quæ priori à nobis allatae regulæ repugnat. Du-
cit huc nos ipse allegatus in contrarium sermonis finis : unde
fluit , licere uti signis diversum quid à cogitationibus no-
stris indicantibus , ubi hac ratione socialitatis humanæ nexus
non læditur. Fit autem id tum , ubi alter ad elicienda secre-
ta mentis jus non habet : non habet verò jus , cuius ea scire non
intereat : quod hic maximè perspicitur , cùm alterum non tan-
get , quid de bonis meis ipse disponam. Et si quid damni in
illum ex dissimulatione meâ redundat , sordide curiositati suæ
adscribere poterit , juxta vulgatum illud : *Qui damnum suā
culpā sentit , sentire non videtur.* Vid. Pufend. de I. N. & G.
l. 4. c. 1. Hæc tamen de iis tantum intelligenda esse in pro-
patulo est , qui improbab̄ spe inhiare patrimonio aliorum solent ,

neutiquam verò de iis, qui cum maximis beneficiis ornassent alios, ab his præter meritum ludibrio habiti fuerant. Priorum exempla in fine capituli primi adduximus in medium; posteriorum verò duo Valerius Maximus VII, 5. & 8. suppeditat in Q. Cæcilio & T. Barrulo: quorum fallacias eò minus approbare possumus, quò magis humanitatis lex exigere videtur, ne quis declarationem voluntatis suæ cum injuriâ alterius bennè de se meriti immutet. Sed satis de his!

Accedimus jamad recensionem civilium apud varias nationes receptarum Legum: ubi illud quivis facile perspiciet, non id nos intendere, ut eas tantum, quibus fraudes Hæredipetarum coercuntur, sanctiones enarreremus, sed in eo præcipue nos occupatos fore, ut diversarum gentium diversa instituta, quibus illæ, ne cum injuriis aliorum græffari corvi nostri queant, cavere laborarunt, exponamus: quo ipso illud simul obtinebimus, ut non modò Legulistarum more externa Legum schemata noscamus, sed scopum etiam earum, robur atque fundamenta.

*Hebreorum
adversus Hæ-
redipetas in-
stituta,*

Faciemus autem initium ab *Hebreis*, gente D E O adeò olim charâ, ut civiles etiam illa Leges suas ab ipso summæ sapientiæ fonte acciperet. Apud illos cùm unicè ferè successioni legitima relinqueretur locus, non poterat nisi exiguis admodum Hæredipetarum artibus in illorum Republicâ esse locus, cùm his eò latior angustiorve campus aperiatur, quò major minorve est testamentaria successionis favor. Seldenus quidem in eximio opere de successionibus in bona defunctorum ad Leges Hebræorum c. 24. ante promulgatas jussu divino à Moysè forenses Leges, liberam Hebræorum majoribus testamento factionem fuisse contendit, inque ejus rei argumentum ex Eusebio Cedrenoque Noachi inter filios testamentum allegat. Verum jamdudum explosa est ab eruditissimis Viris ista terrarum orbis à Noacho inter filios instituta divisio ex Græcorum cerebro nata, perinde ac fictitia illa XII. Patriarcharum testamenta, quæ falsitatis ipse Seldenus coarguit. Quicquid autem hac de re sit, illud certum est, Legibus forensibus restrictam admodum fuisse & ferè omnino denegatam Judeis testandi facultatem. Exponitur Numeror. c. 27. n. 8. & sqq. successionis inter Hebreos ratio non nisi in

in jure sanguinis se fundans, atque inde subjungitur. *Factum*
igitur est filiis Israe lis in statutum iudicii, quemadmodum pre-
cepit Iehovah Moys. Impugnare quidem hanc de nullo te-
stamentorum apud Hebraeos ulu sententiam summus JCtus
Tabor conatur in not. ad C. I. A. tit. Quia testam. fac. poss.
sed loca ab ipso allegata minime, quod intendit, evincunt.
Facile enim eidem largimur, non omnem de bonis disponen-
di in eventum mortis licentiam ademtam Hebraeis fuisse, cum
in mobilibus adhuc illa fese exsereret. Facile quoque & il-
lud concedimus, antiquissimis seculis patresfamilias immi-
nente jam fato de bonis suis disposuisse, non aliter tamen,
quam ut voluntatem suam ipsi inter liberos promulgarent, ut
dum hi in eadem acquiescunt, pacto mutuo inter se eandem
confirmare viderentur. Quo ipso non ab eventu mortis a-
ctus efficacia suspensa fuit, sed a vivis in vivos jus collatum,
iidemque velut in possessionem bonorum immisso, quod er-
ciscunda familie judicium potius quam testamentum sapit.
Neque aliud indigitat locus Deuter. 21. v. 16. qui ipse con-
trariam sententiam stabilire potius videatur. Statuitur enim
ibidem disertis verbis, patri non competere potestatem pri-
mogeniturae attribuendi filio, qui primogenitus non est, si
forte quis bigamus ex uxore minus gratia primogenitum, ex
ea vero, quam in oculis ferebat, secundogenitum sustulisset.
Si ergo ne quidem duplice uni filiorum praeterea assignare
portionem potuit (qua in re potissimum primogeniturae effe-
ctus consistebat) multo minus heredem instituere extraneum
ipsi licebat. Id autem tantum cum Conringio intendimus, te-
stamenta non fuisse recepta apud Hebraeos quoad successio-
nem in universam hereditatem & institutionem extranei,
non diffessi interim, Legata, dispositiones inter liberos, mor-
tis causa donationes ex institutis hujus Reipublicae eliminan-
das minime esse. Nec vero latere quemquam hujus juris ra-
tio potest, qui perpendet arcum omne Reipublicae Judaicæ
in conservatione familiarum & servandâ inter cives æqualita-
te situm illo tempore fuisse. Ne tamen, cum liberis nudâ
exhereditationis formulâ precludi hereditas nequirer, immo-
rigerum filium castigandi ansa patri decesset, concessum fuit

parentibus jus exhaeredandi filios, modò non extraneum, sed eum, quem lex filio cohæredem destinarat, loco ejus insituerent. Sed & illud providè Hebræorum moribus invaluit, ut si forte coercenda esset filii unius prodigalitas, fratri ejusdem donationis titulo universa paternorum bonorum massa tribueretur: quo in casu tamen suam ille partem ut Dominus, reliquorum ut curator & ἐπίτροπος tantum administrabat. Selden. l. c. & Schilt, Exerc. ad π. 14. §. 3. Patet jam ex his, prudenterum Judaicæ gentis Legislatorem eâ ratione, ne Hæreditarum artibus in istâ locus esset, prospexit, quâ maximè conveniebat. Nam cum plerosque ad professionem tam fœdæ artis illud sollicitet, quod nihil facilius sit, quam opimam hæreditatem cernere, sustulit hanc vitii mercedem sanctissimum Numen, effecitque, refranatâ promiscuâ testandi facultate, ne lucrosæ scelestis fordes essent: quo ipso & aliis consuluit, ne cum suorum injuriâ decipi se paterentur. Sed ut est tum maximè sagax ingenium humanum, cum in mala propendet, & sic fraudes commenti sunt infidiales isti alienarum hæreditatum, ut vim Legum harum eluderent. Egerunt id in primis Clerici, idque sub religionis, ut ipsis solenne est, prætextu: votis enim illi tantum attribuerunt vim, ut & cum iniquitate conjuncta implenda affererent. Reprehendit has ipsorum fallacias optimus salvator Matth. XV, 5. ubi simul ostendit, haud intitulatum fuisse Judæis, ut alimenta parentibus denegare possent, DEo eadem offerre: quo ipso fiebat, ut humanis traditionibus præcepta divina enervarentur. Simili ratione simplici ejusmodi voto, quo filius à patre interdicebatur bonis, in qua aliás ipse ex Lege succedere debuisset, exhaeredatio adeò legitimè fiebat, ut successiōnis jure omnino inde filius caderet, atque ad nepotes sive ad fratres bona transmittenterentur. Dubium imò non est, quin etiam, si quis in articulo mortis constitutus Deo omnia sua bona consecravit, legitimi ita hæredes exclusi fuerint. Ostendit hoc locus Philonis in recensione Legum Mosaicarum apud Eusebium Præpar. Evang. l. 8. c. 7. *Quemlibet rerum suarum Dominum esse, nisi si eas Deo vel dicatas utcumque vel omnino sacras esse voluerit.* Nam si vel orenatus sponsonem ejus-

ejusmodi aliquam nuncupavit, nihil eorum uti vel attingere poterit, sed omnibus ei continuo interdictum erit. Item, si vir uxor sua alimenta DEo sacra esse voluerit, alimentis ei suis esse abstinendum. Obtendebatur scilicet hic favor piæ causæ, quo integumento sacerdotum avaritia velari consuevit: quod etiam notavit Hieronymus ep. XI. ad Ageruchiam: Corban (inquit ibi) id est donum, quod altari pollicitus sum & in templi dona promisi, si tu à me acceperis cibos, vertetur in tuum refrigerium. Atque ita siebat, ut egentibus patre & matre sacrificium offerrent filii, quod sacerdotes scribereque consumerent.

Jam vero si Gracorum etiam Legislatoriam prudentiam evolvamus, manifestò elucescat, haud parùm & illos de eradicandâ hac Reipublicâ peste fuisse sollicitos. Plato l. XI. de Legibus non dubitavimus originem hujus mali à promiscuâ testandi licentia arcessere, non absque ratione profectò, uti paulò infra amplius demonstrabimus. Cùm autem locus illius egregiè materiam nostram illustret, & diffusior tamen paululùm sit, non nisi ex versione Ficini eum exhibebimus: *Multa singuli* (inquit) *diversaque & inter se ac Legibus & viventium moribus majoribusque suis contraria properè testabuntur, si quis statuet, quodcunque testamentum in fine vite conditum fuerit, id omnino fore inviolatum.* Stultà enim & abjectà quadam morostate ferme omnes premuntur, quando morituros se jam arbitrantur. Clin. *Quomodo id ait hospes?* Ath. *Difficilis quædam res est, ô Clinia, homo jam moriturus, hisque verbis frequentissime uitur, que Legumlatores terrent atque fatigant.* Clin. *Quomodo istud?* Ath. *Nempe cùm ve-*
lit suorum omnium esse Dominus, hac solet & quidem cum irâ
dicere. Cli. *Quanam?* Ath. *Grave inquit, nimium est, ô*
Dii, si mea mihi non licebit, cuicunque volo, relinquere, & ali-
is plura, alius pauciora, prout erga me boni maliue liquido in-
venti sunt tum in morbo, tum in senio, tum in aliis fortassis me-
is sufficienter comprobati. Cl. *Annon rectè hospes tibi loqui*
videntur? Ath. *Prisci Legumlatores, ô Clinia, molles fuisse*
mihi videntur, & ad minimum quid humanarum rerum in fe-
rrendis Legibus respxisse. Clin. *Quonam pacto?* Ath. *Illi*
morituri hominis verbi, ô optime vir, commoti legem illam

Gracorum de
Heredipeltis
Leges.

scr̄.

scripsierunt, per quam licet cnique, utcunque velit, simpliciter
 sua disponere. Ego autem & tu in civitate tua morituri com-
 modius respondebimus. Cl. Quomodo? Ath. O amici, dice-
 mus, ac brevi procul dubio morituri, difficile vobis est res vestras
 atque etiam vos ipsos secundum Delphicam inscriptionem cogno-
 scere. Ego, qui leges condo, nec vos vestros esse arbitror, nec
 rem familiarem hanc omnem esse vestram, sed totius vestri ge-
 neric præteriti & futuri: multoque magis universa civitatis &
 genus omne & divitias esse. Hec cum ita sint, si quis assenta-
 riunculis in morbo & senio vos aggressus preter honestum testa-
 mentum oondere persuaserit, nunquam id fieri sponte conce-
 dam; sed quod civitati universa & generi conserat, considere-
 rans ita leges conscribam, ut singulorum commoda minoris quam
 cunctorum, ut par est, estimem. Sagacissime indoli humanae
 hac in re leges suas accommodavit Solon, prudentissimus ille
 Atheniensium legislator, quas eò accuratius nosse operæ
 pretium erit, quò plura inde in Romanum Jus translata cui-
 vis manifestum fiet. Erat utique tempus, quo nec Atheni-
 ensibus ullo in casu testandi facultas concessa fuit, ex eâ for-
 san ratione, quâ Platonem hanc licentiam impugnare modò
 audivimus. Solon itaque tum, ut acceptiores populo leges
 suas redderet, tum ut hanc etiam libertatis partem, favore
 utique dignam, si suis includatur cancellis, stabiliret, latâ le-
 ge in Athenensi Republicâ testamenti factiōnem introduxit.
 Testatur hoc præter Isaeum, Demosthenem, aliosque Plutar-
 chus etiam in vita Solonis, ubi hęc habet: Εὐδοκίμος δὲ καν-
 τῷ περὶ διαθηκῶν νόμῳ. Πρότερον γάρ εἰς ἔξην, ἀλλ' ἐν Τῷ γένει τῷ
 θεομήτῳ ἔδει τὰ χρήματα καὶ τὸν οἶκον κατατύπευεν· ὁ δὲ βαλεῖσ-
 τις ἐπιτρέψας, ἐι μὴ παιδεῖς εἰν αὐτῷ, δεναι τὰ ἀνταύτα, φιλίαντε συγ-
 γενειας ἐπιποτε μᾶλλον, καὶ χάριν ἀνάγκης, καὶ τὰ χρήματα κτήματα
 τὸν ἔχοντων ἐποίειν. Magnam quoque sibi existimationem pe-
 perit lege de testamenti latâ: antea enim non licebat testa-
 mentum condere, nam defuncti opes domumque penes generē
 proximos manere oportebat. Hic liberum fecit, si liberi non
 essent, res suas, cui vellet, dare: prætulitque amicitiam gene-
 ri, & gratiam necessitati, & effecit, ut pecunia possessorum
 propriæ essent. Ne autem hoc ipso iis malis aperiretur porta,
 quæ

quæ ex promiscuo testamentorum usu promanare Plato conqueritur, illud ipsum variis clauseulis ita restringit Solon, ut inter vagam libertatis extensionem, & præruptam ejusdem denegationem medium teneret. Primò namque, ut ex Isai de hæreditate Aristarchi oratione constat, pueris, id est, nondum 20. annos natis fœminisque testamento dare legare non licuit ultra medium hordei aut pretium ejusdem: quod optimè de fœnore annuo censū illius, qui testamentum scribit, intelligendum Samuel Petitus in eruditissimo ad leges Atticas commentario pag. 477. & sq. ostendit. Faciliè autem ratio hujus instituti liquet: uti enim fœmina præcipue iis rebus delectantur, quas ab Hæredipetis in subsidium improba artis adhiberi supra monitum; ita eadem omnium maximè etiam fraudibus illorum sunt obnoxiae, ut adeò pars consilii meritò à Solone habetur, imbecillitatē sexūs hac ratione consulere, ne ea in Reipublica ipsius detrimentum & aliorum injuriam vergeret. Deinde masculis etiam indigenis ademtum testamentorum jus, liberis extantibus. Vbi tamen hoc discrimen observa, quod filiæ non excluderint omnino hæredes scriptos, sed quod hi tantum illas in uxores accipere fuerint coacti, nisi hæreditate cadere mallent. Inuit hoc discrimen rursus Isæus de Pyrhi hæreditate p. m. 400. ἐὰν γάρ νοις διαφένδην λέγει, ἔξειναι διαδίδω, ὅπως ἀντίστηται τὸ πάτερ, τὸν μὲν παῖδας γυναικεῖς καταλαμβάνεις· ἀλλὰ τὸν Συγαλέων εἰς δύναται καὶ διαδίδω τὸ πάτερ. ἀλλεοῦ δὲ τὸν γυναικῶν Συγαλέων, ὃχ οὐτε τομοδόδου εἴτε δύναται εἶδεν τὸν ιατροῦ. Lex namque disserit dicit, licere unicuique disponere sua arbitrio suo, si non relinquat filios legitimos: sin verò fœminas relinquat, in illarum arbitrio. Igitur cum filiabus licet dare & disponere propria: insciis verò filiabus legitimis, non possunt neque adoptare, neque alicui dare bona sua. Et manifesta sanctè est hujus quoque juris ratio, cùm nullo non tempore extiterint, qui aliorum auctiis fascinati, aut insano motu ducti liberos fuere avertati. Suppediat insigne hujus rei exemplum Plutarchus in vita Agidis & Cleomenis p. m. 1462. & seq. ubi cum Spartaniorum institutum, qui in plures æqualesque sortes, prout

arcانum Reipublice ut plurimum Democratica suadebat, agrum diviserant, enarrasset, convulsum postea tradit totius Reipublica nexus, Epitadeo auctore, homine factioso, præfratique moribus prædicto: hunc enim memorat, similitate cum filio exortâ, rhetram promulgasse, jus ut cuique esset hæreditatem suam & sortem, cuicunque vellet, & inter vivos donandi & relinquendi testamento. Atque hac ratione evenisse ait, ut opulentia ad paucos confluente, inopia reliquos maneret, donec remedium huic malo Agis ferret. Conf. quoque Aristot. Polit. l. 2. c. 7. Néque tamen ob id credendum est, Solonem parentibus abstulisse potestatem coercendi immorigeros filios: aliâ enim ratione horum proterviae fibulam idem injectit, abdicandi more rituque introducto, ita tamen, ut non nisi causa cognita & probata apud Judices ea locum haberet. Comprobat hoc Lucianus in Abdicato: οὐ γάρ ἀπαστον, οὐ πάτερ, οὐ νομοθέτης, οὐ δὲ πάτηται φέας, οὐδὲ δούλος ἀνθέλωσιν, ἀποκρύψειν συγκερόμενος, οὐδὲ ἐπὶ πάσους αἵττας. καὶ διὰ τοῦ οὐκ ἐλευθέρων ἐφιγένεται, εἰς ἄκριτον τὴν τιμωρίαν, οὐλλ᾽ εἰς δικαιορίου ἐκάλεσθαι, καὶ δονικαστος ἐκάδοστος μήτε πρὸς ὅρῳ μήτε διαβολὴν τὸ δίκαιον κρινέντας. Has scilicet ratione cavebatur, tum ne filii impunitatis spe ad exuendum honorem & obsequium parentibus debitum alicerentur, tum ne parentes etiam in propriâ causa iudices essent, indulxiri alias plus justo affectibus, accedente in primis novocalvis odii efficaciâ, calumniisque eorum, quibus solenne est, insectando alios propriis commodis verificari. Tertiò & illud egregie listendis Hæredipetarum artibus interficit, quod non modò lanam mentem in testatore exegerit Solon, sed & procul ab eodem esse jussit blanditiis aut vim, denegatâ alias efficaciâ roboreque ultimæ mentis dispositioni. Indicat hoc Plutarchus iterum in vita Solonis l. c. οὐ μὴν ἀνέδην γε πάλιν, οὐδὲ ἀπλῶς τὰς δύσεις ἐφῆκεν, οὐλλ᾽ εἰ μὴ νόσον ἔνεκεν, οὐ φαρμάκων, οὐ δεσμῶν, οὐ ἀνάγκη πατραχεῖσις, οὐ γυναικὶ πειδόμενος. Nec temere tamen aut simpliciter dare indulxit, sed si non per morbum pharmacumque neque vinculus aut necessitate constrictus, vel uxoris blanditiis seductus esset. Rem omnem summatim complexus est Demosthenes in Stephanum Orat. II. Οὐσιὶ μὴ ἐπεποίητο, οὐτε μή-

τε ἀπειπεῖν, μητ' ἐπιδικαιοῦσθαι, ὅτα Σόλων ἔτοιει τὴν ἀρχὴν, τὰ ἑστῶτα
διαδέδει ἄντα, ὅπως ἂν ἐθέλῃ, ἂν μὴ πᾶσις ὁριοὶ γυναικοὶ ἀρρώνες, ἂν
μη μανίαν, θυγήρες, ἡ φαρμάκων, ἡ νόσων ἔνεκεν, ἡ γυναικὸς πε-
δουένος, ἢ ὑπὸ ἀνάγκης, ἢ ὑπὸ δεσμῶν καταληφθέσις. *Qui-*
cunque cives adscripti non sunt, nemine controversiam
illis faciente de bonis aut judicio experiente, quando Praetorium
adit Solon, testamento suo danto leganto, cuiuscumque libererit,
si nullos superstites habeant liberos masculos, neque furiosi sint,
vel præ senectute vel morbi aut veneficii vi; neque ab uxori-
bus persuasi, aut necessitate aliqua, vel vinculorum tatio co-
acti. Transtulerunt partem hujus Juris in suum quoque u-
sum Romani, mentis integratatem liberamque voluntatis de-
clarationem in testatore & ipsi requirentes: & hinc forsitan
color ille quarelæ inofficiosi testamenti quesitus, quasi non
sanæ mentis aut novercalibus blanditiis seductus fuerit
testamenti auctor. Vid. l. 2. l. 5. D. de inoff. testam. Prae-
terea & illud in hac Juris Attici parte tum naturali æquitati,
tum prudentiae etiam civilis monitis egregiè consentaneum est,
quod nec promiscuè fideicommissis onerare bona liberorum
parentibus licet, nec tamen omnis iis denegaretur potestas
in eum casum disponendi de bonis suis, in quem ipsi liberi
disponere non poterant. Cum enim reliqua Romani Juris
remedia à Jure Attico exulent, pupillaris tamen quasi substi-
tutio aliqua retenta fuit, raro existente patris testamento, quo
liberis masculis substituerat, si illi ante vigesimum attatis annum
decesserint. Ita enim iterum Demosthenes Orat. in Stephan. II.
Οὐ τι ἀν γνωσίαν ἔνταντον ὁ πατέρας διαδέδει, εἰδὼν ἀποδάσωσιν οἱ γῆραι,
πεινὴν ἐπὶ στέλες ἕβδην, τὴν τοῦ πατέρος διαδέδειν κυρεῖσθαι. Heredes
a patre testamento substituti liberis, si liberi ante annum at-
tatis sue vigesimum decesserint, heredes sunt. Vid. Sam. Pet.
Comment. ad Leg. Att. l. 6. tit. 6. & Meurs. Themid. Att. l.
2. c. 13. Neque verò hisce fiuibus includi se passa est provi-
da Solonis in coërcendis alieni patrimonii captatorum technis
cura; sed specialius adhuc iis obviā ire annisa fuit. O-
stendimus jam votum captandæ mortis adeò frequens olim
fuisse, ut eos sæpe, quibus in adeundâ opimâ hæreditate uni-
us vita obstitit, ad struendas superstiti illi insidias pellexerit.
Huic ergo malo, ut ex parte etiam medelam afferret Solon,

sanxit, ne successoribus in hereditate tutela pupilli demandareretur, & ne tutoribus cum pupillorum matre habitare liceret. Verebatur enim, ne delata proximis agnatis tutelâ, horum sceleri exponeret magis pupilos, & ne tutorum cum matre cohabitatione hæc in spem lucri erecta in partem etiam societatemque insidiarum vitæ pupilli struendarum pertraheretur. Meminit hujus rei etiam Diogenes Laërtius in vita Solonis p. m. 20. κόλλισον δὲ κάλεντο, τὸν ἐπίτροπον τῆς τῶν ὄρφανῶν μητρὸς μὴ συνοικεῖν, μηδὲ ἐπιτροπεύειν, εἰς ἣν οὐδὲ ἔχεται τῶν ὄρφανῶν περιεσθίασθεν. Praeterea & illud statuit, ut curator cum pupillorum matre non cohabitaret: cavitque ne ē fieret curator, ad quem post pupillorum obitum substantia spectaret. Quod autem hac lege id intenderit Solon, ut frustraretur improbas eorum spes, qui pupillum ad eam astatem, quā ipse de bonis suis testari poterat, pervenire agre ferebant, clarè inde eluci-
 cescit, quod χρωστὶ seu remotores agnati à tutelâ non excludebantur: hi enim si vel maximè pupillus ante vicecum
 aetatis annum fatus fungebatur, hereditatem tamen sibi κατα-
 γένεος vindicare neutquam poterant. Vid. Sam. Petrit. ad LL.
 Att. l. 6. tit. 7. Aliás idem ferè institutum amplexus est Chardonias, insignis Siciliæ legislator, qui jus in personam atque educationem cognatis, administrationem verò rerum pupillarum agnatis detulit: ita futurum ratus, ut neque agnati successores pupillorum vitæ insidias struere possent, & eorum tamen bona è majori curâ administrarentur ab iisdem, cogitantibus spem successionis propriique emolumenti. Demon-
 strat hoc egregius Diodori Siculi locus I. XII. Bibl. Hist. c. 15.
 occurrens. Οὐ δ' ἐν καρδιώδεις καὶ ἔτερόν τινα νόμον ἀποδοχῆς ἐξείμενον
 ἔγραψε, τὸν πεποντὸν τῆς ὄρφανῶν φυλακῆς. Τοσοῦτον δὲ ἐπιπολαῖς μὲν θεω-
 ρύμνος ἐδὲν φύνεται περιπλήκτην ἔχειν, εἰδὲ ἀποδοχῆς ἀξίου. ἀναθεωρύμ-
 νος δὲ καὶ μὲν αὐτιστικὸς ἐξείλαζέμενος μεράλην ἔχει πεπλήκτην καὶ μέχεα.
 ἔγραψε γαρ τῷ μὲν ὄρφανον κρημάτων ἐπιτροπεύειν τὰς αὐχειστῆς τὰς
 εἰποταργάτες, πρέρχεσσι δὲ τοὺς ὄρφανούς παρεῖ τοῖς συγγενεῖσι τοῖς αὖτο-
 μητροῖς, ἀντίθεν μὲν ἢν ὁ νόμος ὑδὲν ὕστερος περίχων σοφὸν ἡ περιπλόν
 ἐξείλαζόμενος δὲ κατὰ βαθέα, ἀνέσκοττοι δικαῖοι ὃν ἀξίος ἐπεινε-
 ζητείμενος γάρ της ἀπίστας, διὰ ἀλλοιού μὲν τὴν ὑστάτην, ἔτεροι δὲ τὴν τῶν
 ὄρφανῶν προφύνησιν εἰπεινεσσε, ἐκφάνεται τις ἐπίνοια τε νομοθέτει περιπλόν.
 22

οἱ μὲν γὰρ ἀπὸ μητρὸς συγγενεῖς οὐ προσκοίτες τῇ κληρονομίᾳ τῶν ὄφραντων
ἐν ἐπιβαλέσσουσιν· οἱ δὲ ἀπὸ τῆς πατρὸς ὀικεῖοι ἐπιβαλεῖσαι μὲν εἰς δύναντας,
διὰ τὸ μὲν τιμεῖσθαι τὸ σόματός τοις δὲ ὅσας εἰς ἑκάτην καθηκόντες, ἔπειτα οἱ
ἔφραγοι τελευταῖσιν ή διὰ νόσον, ή τινα ἀλλαγὴν περιέστασιν, ἀκριβεστρονοίκο-
τομῆσσαι τὸ χείματα, ὡς ιδίαι τὰς εἰς τῆς πύχης ἐπόδας ἔχοντες.

Peripectis hunc in modum Hebraeorum obiter Graecorumque, Atheniensium in primis, circa argumentum nostrum institutis, paulò suffici jam Romanorum Leges hoc spectantes perpendendae nobis erunt. Diversam illi à reliquis gentibus viam hic secessati sunt, prævalente apud ipsos præ legitimā successione testamentorum favore, quem optimè Schilterus Exerc. ad π. 14. partim ab amplitudine & rigore patriæ potestatis arcēsſit, partim à studio libertatis Quiritum deducit, ab his in privatis, uti à Germanis in publicis rebus collocata. Tantus autem hic ipse favor fuit, ut cùm varia etiam inde derivata in Rēpublicam mala restringendam vagam promiscuamque testandi facultatem suaderent; illa ipsa nihilominus remedia, quæ naturalis æquitas exigebat, odiosa Romanis haberentur. Facilè quidem illi perspexerunt, ex generaliore Legum XII. Tabularum sanctione hoc incommode promanasse, ut patres novercalibus delinimentis corrupti, aut ab aliis falsò instimulati, sanguini suo injuriam inferrent; & matres senibus nubentes non erubescerent, spretis liberis, ei totum patrimonium suum addicere, cuius polluto jam corpori marcidam suam senectutem substraverant, ut Valler. Maxim. loquitur VII, 7, 4. Sed cùm remedia huic pesti quererent, latisque variis Legibus Voconiā, Falcidiā, Aeliā Sentiā, Fusia Caniniā, dissolutam testandi licentiam restringerent, id tamen simul semper egerunt, ut ne vis libertatis Quiritum, iniqua licet, periret. Et hinc sanè fluxit illa querela in officiosi testamenti personalitas, exiguus ejusdem durationi præfinitus terminus, pœna in casum succumbentiaz actori imposta, probationis onus in negantem, se exhæredari meruisse, translatum, & tot alia iniquitates, quibus absterrere ab instituendâ hac querelâ legitimos successores Romani conati sunt, & quibus id quæsiverunt, ut liberi potius injustæ parentum voluntati se submitterent, quam ultimum eorum judicium impugnarent.

rent. Hinc præterea & illud promanavit, quod per substitutionem patris filio impuberi factam mater à legitimâ excludebatur, colore inde defunto, quia non filius auctor testamenti, sed pater extitit. Ex eodem denique fonte derivandum, quod legitimæ favori testamentariæ dispositionis in dubio cederet cogebatur, quamvis illa pra hac in æquitate esset fundata & naturali jure debita. Quæ omnia quām parum justitiæ convenient, facile quivis, cui non præjudiciis & amore juris Romani occœcata mens est, perspiciet, ut adeò dubium non sit, quin hac in parte Hebreum Atticumque jus Romano longè sit præferendum. Dionysius quidem Halicarnassensis rigorem patriæ potestatis, à Romulo Quitribus concessæ, unde ex parte promiscua testandi licentia deducenda est, hunc in modum defendere nititur: Τιμωέος κατὰ τὸν παῖδαν ἔταξεν οἱ Ἑλληνες, ἐπὶ διαιδοῦσι τοῖς παῖδέσιν, οἱ βαρίες, ἔξιλοις τῆς οἰκίας ἐπιτρέψαντες ἀπλά, καὶ χρηματα μὴ καλαπάνεν, περιστέρω δὲ οὐδέν. εἰσὶ δὲ ὧν ικανοὶ κεισχεῖν ἄνοιαν νέότητος, καὶ ἀνδάσιαν τρέψαντες, οὐδὲ εἰς τὸ σύφρον ἀγαπεῖν θεοὺς ἡμετέρας τῶν καλῶν αἱ μαλακαὶ τημοεῖαι, τοιχάριοι πολλὰ ἐν Ἑλλησιν εἰς πατρός εἰς τέκνον διχρυσοῦνται· οὐ δὲ τὸν Ρωμαίον νομοθέτην ἀπασαν, οὐ εἰπεῖν, ἔδωκεν ἔξισταν παῖδες καὶ γῆ, καὶ παῖδες πάντα τὸν τοῦ βίου χρόνον, οὐδὲ τε ἔπρεπεν, οὐδὲ τε μαστίχην, οὐδὲ τε δέσμουν ἐπὶ τὸν καὶ ἀγρὸν ἐργαζομένους, εἴ τι ἀποστιννύντες προαιρῆται, κ.τ.λ. Sed quis non videt, haud minimam Reipublicæ labem esse, si privatis concedantur, quae unicè transcribenda ei forent, qui summâ in Republicâ Majestate resulgeret. Alias acri animorum motu disceptata est de hac Romana Legislationis parte controversia Taborem inter & Conringium, egregium æmolorum part: hoc contendente, haud dubie, ad præcavendas lites apud Germanos multum etiam juvissé prohibitam testamenti factionem hæreditatisque rationem certam & plenam; cui asserto & nos calculum nostrum adjicere nulli dubitamus. Quām immensa enim, quæso, in Corpore Juris Legum de re testamentariâ farrago occurrit? quām diverse Jurisprudentiae Romæ periodi hic sese exserunt? & quām crebras denique antiquarum Legum abrogationes, abrogantiu[m]que abrogationes novas reperire licet? ut vel hinc jam constet, nunquam ferè

ferè non Romanos de tollendis, quæ ex testandi licentiâ orta fuerunt, malis fuisse follicitos, nec unquam tamen eosdem sibi met ipsiis satisfecisse. Crefcere verò ex Legum multitudine litium copiam vulgare Politicorum effatum est, Tacito jam profitente l. 3. Ann. c. 25. & 27. non Legibus sapè minus quam flagitiis laboratum fuisse, atque signum corruptissimæ Republicæ haberit plurimæ Leges. Porro qui vel fugitivis oculis Doctorum, praxi inservientium, scripta perlustrabit, fateri habebit necesse, forum, tribunalia, Curiam non aliâ re magis quam controversialis de re hereditariâ, de validis invalidisque testamentorum speciebus, de fideicommissis, de substitutionibus de que harum divisionibus & subdivisionibus atque mixturâ extortis, perstrepere: quorum pleraque quam non sunt tricis ferta, inter dissentientium Doctorum auctoritates incerta, & plus ex subtilitate denique quam æquitate trahentia? Comprobat hoc testimonio suo Franciscus Hottonmannus in Anti-Triboniano c. 6. laudatus hoc nomine etiam Conringio: *Omnes pragmatici (ait ille) fatentur, quod materia testamentaria sit fons atque nutritiæ maxima litium partis captionumque, que ibi sunt, ubi Jus Civile viget.* Jam verò si, quæ nostram propriam materiam tangunt, etiam perspiciamus, evidens erit, auctum tam lucrosam hereditipetariam artem exercentium numerum ex eo fuisse, quod pleraque Romanis Legibus arbitrio testatoris relinquebantur. Plerique enim mortalium ita comparati sunt, ut ipsi quid rectius honestiusque sit, dignoscere nequeant, sed aliorum auctoritate, consiliis, ductu regantur, probi improbive, prout vel in probos vel improbos incidentur. Maximè jamjam morituri non accuratâ trutinâ consiliorum ab aliis suggestorum momenta ponderare consueverunt, quorum proinde imbecillitati consulendum fuisset à Legislatore, qui procul ab affectibus constitutus, quid è re publicâ privatâque sit, anxiè magis considerare potest. Cederetque hoc ipsum in privatorum etiam commoda, quorum libertati Romæ eâ re illusum fuit, quâ illi libertatem firmari sibi persuadebant, opulentiam ad Patricios omni confluente; & quorum non parùm interest familiam ab eâ quoque injuriâ defendi, quam decepti ipsi inferre laborarunt. Neque his obstat, quod ex l. 1. C. de S.S. Eccles. plerumque oppo-

opponitur: nihil esse, quod magis hominibus debeatur, quam
 ut supremæ voluntatis (post quam jam aliud velle non possunt)
 liber sit stylus, & licitum, quod iterum non reddit arbitrium.
 Non enim omnem de bonis in eventum mortis dispositionem
 damnamus, non invidemus morituris liberæ voluntatis supre-
 mæ stylum, non denegamus rerum suarum arbitrium Domini-
 nis: sed coercendam tantum vagam licentiam, sed restrin-
 gendam iniquam libertatem, sed angustioribus cancellis in-
 cludendum arbitrium illud censemus, ne & Reipublicæ &
 familia defunctorum & defuncto denique ipsi noxiū exi-
 stat, quod plerique beneficium interpretantur. Habetque hic
 utique & illud axioma locum: publicum emolumētum Le-
 gislatorem magis sibi quam privatorum ponere ante oculos
 debere. Imò certo certius est, Romanos hic in id prolapsum,
 quod improbarunt ipsi, ut scilicet post vulneratam causam
 morbo Reipublicæ remedium quærerent. Nam cum temet
 Hæredipetarum artibus portam aperuissent, non occludere
 eam rufus, sed tot innumerā Leges invalēscenti fraudi op-
 ponere laborarunt, ut ægram Rempublicam vel ex remedio-
 rum multitudine facile agnoscas. Neque sic tamen scopum
 illi suum artigerunt, cùm non fontem mali obstruerent, sed
 erumpenti jam malitiæ non nisi invalida claustra objicerent,
 eò minorem prudentiæ landem hic ferentes, quò minus per-
 spexerunt, melius scelera demitæ peccandi occasioñe & scopo,
 quam propositis pœnis cohiberi. Fient hæc omnia manife-
 stiora, si singulas, quas capite primo recensuimus, captatorum
 species percurramus, singulisque fundamenta Romani Juris
 applicemus seorsim. Vix est quidem, ut quicquam de Impera-
 torum Romanorum artibus, queis partim avaritiæ, partim
 prodigalitati sua litare satagebant, dicamus, cùm civilibus il-
 li Legibus minimè subjaceant, nec inter mortales ullus sibi in
 eosdem arrogare judicium queat: ne tamen nihil prorsus hic
 dixisse videamur, obiter tantum considerabimus, quibusnam
 Legibus artes illa incrementum suum debeant, & quænam
 vicissim Leges technis illis oppositæ fuerint? Intentatum Ma-
 jestatis crimen eò facilius locum inter modos ditandi ætarii
 inveniebat, quò latius illud extensum sub Principibus memo-
 riā

riam libertatis suspectantibus fuit, & quò atrociora in odium ejus passim in Jure constituta reperiebantur. Olim quidem in Majestatis judicium (ut Taciti verbis utar l. 1. Ann. c. 72.) tantum veniebant, si quis proditione exercitum, aut plebem seditionibus, denique malè gestā Republicā Majestatem populi Romani minuſſer. Inde Augustus de famosis libellis cognitionem specie Legis ejus tractavit: sed tandem non facta, sed dicta arguebantur, si quis laudare insignes viros, si excellere eloquentia aut rerum gestarum gloriā sustinebat. Tam sœva erant & infesta virtuti sub malis Principibus tempora! Egregiè de hac seculi sui injuriā conqueritur Tacitus in vi-tā Agricolæ c. 2. *Dedimus* (inquit) *profectō grande patientiæ documentum, & sicut vetus atas vidit, quid ultimum in libertate esset, ita nos, quid in servitute: ademto per inquisitiones & loquendi audiendique commercio.* *Memoriam quoque ipsam cum voce perdidissimus, si tam in nostrā potestate esset oblivisci quam tacere.* Cūmque verum Majestatis crimen meritò cunctis, quorum pectora furia non infederunt, omni execratione dignissimum judicetur, non poterat non fieri, ut plura in odium ejus singularia constuerentur, quæ ad innoxios postea etiam transierunt, delatoribus inde calumniandi ansam captantibus. Et hoc refer, quod juxta l. 7. ad L. Jul. Maj. famosi etiam milites seruire ad delationem hujus flagitii admittantur; quod juxta l. 11. eod. morte crimen non expierit; quod Advocatus non admittatur l. 5. §. 2. C. h. r. quodque poena criminis iis etiam ex parte irrogetur, qui socii criminis non extiterunt. l. 5. C. eod. Ita nefandum cùm haberetur & sacrilegio proximum, læſae Majestatis piacula se contaminare, suadebat utique prudentia Legislatoria, omnibus modis id cavendum esse, ne innocens poenâ eidem præfinitâ plecteretur. Primo ergo, ut dicta impunè effent, iterum invaluit: cuius rei rationem indagat Modestinus l. 7. §. 3. D. ad L. Jul. Maj. *Lubricum lingue, ait, ad paenam facilē trahendum non est: quamquam enim temerarii digni poenâ sint, tamen ut insanis illis parcendum est, si non tale sit delictum, quod vel ex scripturā Legis descendit, vel ad exemplum Legis vindicandum est.* Fusiūs adhuc hoc ipsum explicat l. un. C. si quis Imper. maledix. Ita enim ibi

Theodosius : *Si quis modestia nescius est pudoris ignarus im-
probo petulantique maledicto nomina nostra crediderit laceſſen-
da, ac temulentia turbulentus obrectator temporum nostrorum
fuerit, eum pœnae nolumus ſubjugari, neque durum aliquid nec
asperum volumus ſuſtinere : quoniam ſi id ex levitate proceſſe-
rit, contemnendum eſt ; ſi ex iñſaniam, miſeratione dignissimum ;
ſi ab iñjuriā, remittendum.* Deinde graves quoque pœnae in
falsoſ delatores à probis Principibus ſtatutæ , quemadmo-
dum ab improbiis eos præmiis auctos ſupra memoravimus :
quâ ratione factum erat, ut ex morib⁹ Cæſarum turpiſſima
quaque augendo quæſtui ſeligerent, qua eō facilius dicta à
reο credebantur, quia vera erant. De Tito Cæſare Suetonius
in vitâ ejus c. 8. teſtatur, eum, licet alioquin leniſſimum,
delatores tamen ſeverius coerciſſe, & fufib⁹ caſos ac per am-
phitheatrum deductos vel venire iuſſiſe, vel in iñſulas depor-
tari curaffe. Erat quidem aliás in calumniatores Lege Remmiā
conſtituta pœna, quâ fronti eorum litera K. inurebat. Vid. l.
1. §. 2. D. ad SCtum Turpili. Sed cum ſtigmatis hanc notam pra-
opimis præmiis ex delatione acceptis riſerent improbi accuſa-
tores, uti Plinius quoque teſtatur Paneg. c. 35. exacerbanda
utique ſupplicii gravitas fuit. Talionis igitur pœnam irro-
gandam iis Trajanus censuit, cuius iudicij ſapientiam magnificè
hiſ verbiſ deprædicat Plinius l. c. *Quantum diuerſitas tempo-
rum poſſet, tum maximè cognitum eſt, cum iisdem quibus ante-
tea cautiibus innocentissimus quisque, tunc nocentissimus adſige-
retur, cumque iñſulas omnes, quas modò Senatorum, nunc de-
latores turba compleret : quos quidem non in praesens tantum,
ſed in eternum repreſeffi mille pœnarum iudagine inclusos.*
*Ereptum alienas pecunias eunt? perdant, quas habent: expel-
tere Penatibus geſtiunt? ſuis excurbentur; neque ut ante ex-
ſanguem illam & ferream frontem nequicquam convulterandam
præbeant punctis, & notas ſuas rideant, ſed ſpectent paria præ-
mio damna, nec maiores ſpes quam metus habeant, timeantque
quantum timebantur.* Et hinc forſan ille iñſcriptionis moſ
invaluit, quem ante Trajani tempora, faltem quoad de-
latores reorū Majestatis , in uſu non fuſſe ex hoc ipſo
Plinius

Plinii loco colligere licet. Sanè hunc ipsum in finem introductam esse illam inscriptionis necessitatem, quā auctor ad talionis pœnam se obstringebat, paret tum ex l. 7. D. de accus. & inscript. tum ex l. f. C. eod. ubi hæc hujus juris ratio redditur: ne impunitam fore existimet delator licentiam mentendi, cùm calumniantes ad vindictam poscat similitudo suppli-
cii. Aliud adhuc remedium coërcendis improborum calumniis introduxit Constantinus l. 3. C. ad L. Jul. Maj. Si quis (verba Legis sunt) alicui Majestatis crimen intenderit: cùm in hujuscemodi re convictus, minimè quisquam privilegio dignitatis alicuius à strixiore inquisitione defendatur: sciat se quoq[ue] tormentis esse subdendum, si alii manifestis indicis accusacionem suam non potuerit comprobare cum eo, qui hujuscemodi esse temeritatis reus deprehenditur. Quemadmodum verò te-
stā etiam quandoque viâ in patrimonia privatorum Principes grassabantur, ita hisce etiam mederi incommodis ii Imperatores anni si fuerunt, qui à Tyrannide alieni erant. Exemplum hujus rei suppeditat l. f. D. Qui testam. tac. poss. ubi Paulus JCtus negat, bona ejus à fisco occupari posse, qui se Imperatorem ha-
redem facturum non nisi jactaverat. Moris enim nonnullis fuit,
eâ ratione gratiam Cæsarum aucupari, ut testimonium per-
hiberent benevolentie defuncti erga Principem, quasi cum nominare hæredem in animo habuisset: unde sèpius fie-
bat, ut extantibus licet contrariai ultimæ voluntatis ta-
bulis à fisco tamen hæreditas occuparetur. Ostendit hoc etiam l. 20. C. de testam. ubi Honorius & Theodosius Impp. profitentur, eos falsi criminis reos teneri, qui cùm scriptæ de-
ficientium extiterint voluntates, non scriptum aliquid sub Cæ-
sarum mentione adstruere moliantur. Hucque præterea illud spestat, quòd sèpius sancitum fuerit, ex imperfecto testa-
mento nec Principem hæreditatem vindicare posse. Vid. l. 3.
C. eod. Eadem ratione etiam illorum nequitiaæ in legibus Ro-
manis positus obex fuit, qui ut judicio adversarium, quî-
cum ipsis lis intercedebat, vincerent, hæredem Imperatorem designarunt: quam fraudem disertis verbis improbat l. pen.
D. de hær. inst. Paulus namque ibi Imperatorem litis causâ
hæredem insitui invidiosum esse docet, ne calumnia faculta-

tem ex Imperiali Majestate capiat. Egregium hic omnino, ut in aliis etiam se exhibuit Pertinax, de quo Capitolinus in virâ ejus memoria prodidit: *professum ipsum fuisse, nullius se aditurum hæreditatem, qua ant adulatio alicuius delata es-
set, ant lite perplexâ, ant si legitimi hæredes & necessarii pri-
varenur.* Inferuit partem hanc orationis Pertinacis in Senatu
habitæ Institutionibus suis etiam Justinianus §. ult. Quibus
mod. testam. infirm. ubi hæc habentur: *Eâdem oratione ex-
pressit, non admissurum se hæreditatem ejus, qui litis causa
Principem reliquerit hæredem: neque tabulas non legitimè fa-
ctas, in quibus ipse ob eam causam heres institutus fuerat, pro-
baturum: neque ex nuda voce hæredis nomen admissurum:
neque ex illâ scripturâ, cui juris auctoritas desit, alignid ade-
pturum.* Secundum hoc (addit Justinianus) *Divi Severus &
Antoninus sapissime rescriperunt: Licet enim, inquit, legibus
solvi simus, attamen legibus vivimus.* Vt inam vero vestigia
horum Principum, quos tantopere deprædicat, pressisset Ju-
stinianus: utinam non ipse exemplo suo fecisset manifestum,
concessâ semel teltandi facultate facile aulicis esse eludere, le-
ges captatorum votis oppositas. Plurima certè avaritia ejus-
dem specimina, quoad nostrum etiam argumentum, ab Hi-
storicis commemorantur, ut quòd bona aliorum per fraudes
captaverit, segmentis purpura domibus divitium affixis in
signum eorum erga Imperatorem benevolentia, usus hac in
re ministro Anatolio regia domûs Curatore. Vid. Procop.
Histor. Arc. p. 36. 55. & 87. tum Agathias l. 5. quodque in-
fontes falsorum criminum reos egerit, atque partim vi, par-
tim pretio alios eò adegerit, ut fietas contra divites præcipue
accusationes conficerent. Vid. Procop. Hist. Arc. p. 44. & 86.
Evagr. l. 4. c. 29. Anastasius in Sylvestro Papa. Addatur Zon-
aras Annal. tom. 3. in hoc Imperatore. Maximè omnium in-
ter artes corrogandi pecuniam tempore Justiniani illustris illa
fuit, quâ teste Evagrio l. 4. c. 29. meretrices substitueban-
tur, quæ profiterentur, se cum aliis illicitam rem habuisse. Ut
ita Imperator adimendi bona nanciseretur occasionem, so-
cius lucri unâ cum meretricibus futurus. Obtinuisse verò
in his prostibulis principem locum Chrysomallam & Indaram,

Theo-

Theodoræ olim socias, vel inde colligere licet, quod Suidas testatur, has post acceptum imperium in aulâ secum retinuisse Theodoram, & consiliorum socias reddidisse.

Sed commemoranda jam etiam veniunt ea Romanorum instituta, quibus privatorum insidiis obviam illi ire conati sunt. Monimus supra, hanc infrequens Romæ fuisse, ut cæde propinquorum opinæ hæreditatis spes firmaretur: huic malo 4. in primis modis remedium adhiberi posse, Legislatoribus Romanis visum fuit: è quibus primus erat exasperatae beneficij pœna, quod veneno usos hæredipetas hocce plerumque constaret. Videlur quidem aliás nihil aut parùm quoad sceleris magnitudinem interesse, gladiione quis, an veneno è medio tollatur? sed cum difficultas occultæ insidiae quam aperta vis præcaveri possint, & in veneficio etiam fraus magis plerumque lateat, prudentia legislatoris præcepta postulabant, ut atrocior pœna præfiniretur flagitio, quod aliás spe impunitatis plures exercituri fuissent. Hinc est, quod l. i. C. de malef. & Mathem. dicitur: *plus est hominem veneno extingue-re, quam occidere gladio.* Hinc est, quod is etiam capitali supplicio afficiebatur, qui nocendi tantum causâ venenum vendidit, licet ipse id non propinareret, per l. 3. D. ad L. Corn. de Sicar. Et hinc denique Augustissimus etiam Ordinationis Criminalis auctor Carolus V. beneficis gladii pœnam, quæ simplices homicidae affici solent, dictare non contentus, in masculis quidem hoc crimen rotæ supplicio, in foeminis verò aquæ suffocatione puniendum statuit. Altero loco in determinata etiam gravissimâ parricidio pœnâ pharmacum huic pesti quæsiverunt. Ipsa quidem sana ratio id utique exigit, ut tam horrendi flagitii rei eò atrociore supplicio coërcantur, quæ magis depositisse omnem humanitatis sensum videri possunt: sed ut ad ulteriores etiam propinquos, & ad quartum usque gradum pœnæ gravitas extenderetur, utque eâ ratione pœna exacerbaretur, quæ terrorem injicere præprimis apta est, sine dubio Romanos permovit ipsa delicti frequentia, non aliunde quam ex spe cernendæ mox hæreditatis ut plurimum proveniens. Vid. l. i. D. ad L. Pompei, & §. 6. l. de publ. Judic. Tertiò huc & illud referendum, quod hæredi-

defensio cædis defuncti incumbat , nisi hæreditate privari malit : nam ex SCto Silaniano non modò prohibetur apertura tabularum ultimæ voluntaris ante habitam de familiâ quæstionem , quòd crederetur hæres facilè unum ex servis vel libertatis vel præmiorum spe ad peragendam Domini cædem , ob multititudinem servorum ipsorum maximè injuriis expostis , sollicitaturus : sed & si vel injuriâ necatus erat vel Medicis insidiis , de cuius adeundâ hæreditate agebatur , etiamnum hæredi inquisitio in rationem peracti flagitiis incumbebat , ne ipse extraneorum etiam hic operâ uti commode posset . Extensem imò hoc fuit ad eum etiam casum , ubi certus percussor erat , ut scilicet cædis mandator inveniatur , quemadmodum disserè l. 6. D. de SCto Silan. testatur . Quarò in hunc etiam censum veniunt omnia ea , quæ ne votum captandæ mortis locum habere posset , à Romanis constituta fuerunt . Hac certè de causâ denegatum illorum jure pactis de futurâ successione robur fuit , quod vel ex distinctione inter ista pacta legibus Quiritum adinventâ elucescit . Nam cùm improbetur conventio de hæreditate ipsorum pacientium , valida tamen pronuntiatur illa conventio , quæ ad acquirendam tertii hæreditatem tendit , modò tertius ille vel incertus sit , vel consentiat , & voluntatem eandem ad extremum vitæ retineat . Exulat nimurum in incerto metus , ne insidiis ille præveniatur , qui nec in certo quidem facilè habere locum creditus fuit , ubi ille in pactum consenfit : quòd id ipsum non facturus fuisse existimabatur , nisi perspectis alterius moribus ; quodque non constare semper insidiatori posset , annon mentem suam mutarit is , cuius hæreditati inhibebatur . Adeò autem hæc Juris Civilis pars olim omnibus ferè arrisit , ut ea in sacros etiam Canonas transferretur , quòd manifestum esset , & Clericos hoc remedio indigere . Hinc enim Concilio Lateranensi cautum fuit , ut ne ministeria aut beneficia Ecclesiastica tribuantur promittanturve , antequam vacent , ne quidem si missio generali sermone concepta , spondente quopiam tum beneficium se daturum , cùm ejus dandi se facultas obtulerit . Vid. c. 2. de concess. præb. in 6to. & Lancell. Inst. cum comment. Zieg. l. 1. tit. 27. p. 217. & seqq. Proprius adhuc materiam nostram tangit abjudicata per

per SCum Macedonianum creditoribus facultas debita à filiisfamilias contracta exigendi : cuius rei vestigia in Græcorum etiam jure collegit Aërodius in Pande&t. Rer. Judic. l. 4. t. 4. Simile quiddam jam Lætorii plebiscito & Claudi lege sancitum fuit : quorum illo, ut creditor, qui minori 25, annis credidisset, nomen amitteret, constitutum ; hac vero cautum fuit, ne fœneratores in mortem parentum pecuniam filiisfamilias fœnori darent. Sed cum non sufficientes satis hæ leges coërcendo, quod tam altas radices egerat, malo deprehenderentur, Vespasianus prolixius retundere improbas usurario rum artes annis est. Solebat namque, ut ex l. 1. D. ad SCr. Maced. constat, quidam Mæcado incertis nominibus pecuniam adolescentibus credere, atque hac ratione non modò frigidam luxui eorum suffundere, sed & eò sèpius incautos adigere, ut, quòd solvendo essent, parentum vite insidiarentur. Vid. Schilt. Exerc. XXVII. & qua passim ad legem istam primam à commentatoribus annotantur. Disertis enim verbis in eâ ipsâ legi hæc hujus juris ratio allegatur : *ut scirent, qui pessimo exemplo fœnerarent, nullius posse filiisfamilias bonum nomen expectata patris morte fieri.* Conf. quoque Sueton. in Vespasian. c. II. Vidimus aliás, Solonem Charondamque saluti impuberum, (his enim præcipue, ut testamenti condendi facultas adimatur, strui insidiæ solent) eâ ratione consuluisse, ut personam pupillorum eorum committendam fiduci prohiberent, ad quos extintis illis bona spectabant : verùm Romani diversam hic viam ingressi sunt,onus tutelæ iis demandantes, ad quos lucrum hæreditatis spectaret. Dedisse hoc ipsum sèpius fraudibus capitatorum antsam, Historia Romana dubitare nos non finit : ut adeò hac etiam in re præferre Græcorum mores nulli hæsitamus. In eo interim providè à Justiniano actum, quod cum in legitimâ tutelâ matrem aviamque ille reliquis collateralibus præferret, per Novell. 118. c. 5. non aliter tamen hisce tutelam detulerit, quam ut secundis nuptiis illæ renuntiarent. Ita enim, ne vitrici injuriis paterent impuberes, omnium optimè cavebatur. Nov. 94. c. 2. Eudem præterea scopum intendit Leonianum Edictum in l. 6. C. de Sec. nupt. occurrentis, quo san-

sancitur, ne extantibus ex priore matrimonio liberis pater materve ad secunda vota transeuntes novercæ aut vitrico hereditatis, legati, dotis aliove quocunque titulo lucrativo plus relinquere queant, quam uni liberorum, cui minimum reliquerunt. Cum enim Legislator Romanus per secundas nuptias id saepius effici perspicet, ut parentes à charitate & curâ liberorum abalienati novo coniugi non modo res filiorum, sed & vitam addicerent (ut loquitur l. 22. C. de admin. tut.) consentaneum utique prudentiae legislatoria erat, obviare hac ratione ire novercarum vitricorumque fraudibus. Ut autem eò magis eas coerceret Leo, non modo ad eum casum Constitutionem suam extendit, quo per interpolatam personam in novercam vitricumque pars bonorum transferebatur: sed & simul cavit, ut si quacunque ratione plus, quam fieri salvâ lege poterat, personis istis tribueretur, superfluum illud inter liberos unicè prioris matrimonii, exclusis iis, qui ex secundis nuptiis erant pregnati, divideretur. Justinianus quidem postea illud, quod novercæ vel vitrico auferatur, etiam cum liberis secundi matrimonii partiendum sensit l. 9. C. de sec. nupt. Sed emendavit id rursus Novell. 22. c. 27. unde desumpta est Authentica Ad eos solos C. h. t. Et sane quamvis non nisi fugitivo oculo inspecta lex haec visideri cuipiam iniqua possit, cum injurya ita absque causâ inferri videatur posterioribus liberis, & pena fraudis etiam extendi ad eos, qui à fraude immunes extiterunt: penitus tamen perpensa ista dispositio multum prudentiae continere perspicietur. Cum enim per secundas nuptias injurya quasi aliqua irrogetur liberis ante contractas illas nuprias jam extantibus, dum damnis ex odio novercali redundantibus plerumque exponuntur; illis etiam solis superfluum illud addici haud injustum erat: maximè cum reliquis portio illa, quæ naturali jure debetur, salva adhuc maneat. Et quoniam cura liberorum ex proprio sanguine ortorum ad ejusmodi fraudes comminiscendas ut plurimum vitricos novercasque induxisse experientia compertum erat, sagacissimo instituto id vitricos novercasque deterreret, quo ad adhibendas illas præcipue

cipue impellebantur. Neque verò his obstat Novellæ 22.
cap. penult. quo ut æqualitas inter utriusque matrimonii li-
beros servetur, ipse Justinianus suadet. Quid enim quælo
æqualitas inter liberos servanda cum novercæ commercii ha-
bet? & suadetur illa tantum, non præcipitur; & si præci-
peretur, palam tamen est, in posteriore capite regulam, exce-
ptionem in priore tradi: nisi dicere velis in eādem Novellâ
sibimet ipsi Justinianum contradixisse: quod incongruum
omnino foret. De eo magis anxie inter Doctores disquiri-
tur, quomodo computanda sit filialis illa portio, quam Edi-
ctum Leonianum in novercam vitricumve transferre conce-
dit: num in viriles partes facienda divisio, an verò detra-
henda prius legitima sit, & non nisi tantum novercæ vitrico-
que adjudicari permisum, quantum prater legitimam unū
liberorum adjudicatum à parente fuit, cui minimum ab eo-
dem adjudicatum. Prius plures insignis nominis J.Cti asse-
runt, eā præcipue ratione moti, quod non nisi simplicis di-
visionis in lege istâ Edictali mentio fiat. Verūm contrarium
nobis de jure verius videtur, idque non unā de causâ. Nam,
ut bene Glossa ad c. 27. Nov. 22. annotavit, duo sunt juris
remedia liberis prioris matrimonii competentia: unum, quod
naturali jure debetur, legitima scilicet; alterum, quod ex Con-
stitutione Leonis habent. Et facit profectō huc insigniter
arg. Novellæ istius 22. c. 27. ubi inter alia & hæc verba oc-
currunt: *Si verò inæqualia, que relinquuntur, fuerint, tan-
tum necesse est solum ad novercam aut vitricum venire ex qua-
cunque largitate parentis, in quantum qui minus habet filius,
ex illius substantiâ percepit, aut ex novissimâ voluntate dimis-
sum, aut in vita datum: quippe dudum quartâ, nunc autem
tertiâ aut mediâ secundum nostram legem portione omnino fi-
lio relinquenda aut danda, nisi rursus ingratitudinis ratio con-
tradicat.* Quæ ultima verba egregiè certè beneficium legi-
timæ ab eo beneficio separant, quod Leonianum Edictum in-
troduxit, simulque portionem legalem filio necessariò relin-
quendam opponunt portioni, quæ alias ex substantiâ paternâ ad filium pervenit, & quam proinde in novercam aut
vitricum transferre licet. Nisi enim hanc interpretationem

admittramus, nulla proorsus ratio appareret, quare quæ de legitimâ hic habentur, subjuncta fuerint, nec congruus etiam sensus ex ultimis ipsis verbis elici potest. Porro amplectitur hanc opinionem Glossa, cuius magna est in praxi auctoritas: amplectuntur eandem ut communem plures ex probatissimis JCris, Peckius, Rolandus de Valle & his citati innumeris ferè Doctores. Sponte suâ hinc ergo jam fluit, in novercam aut vitricum, liberis prioris matrimonii usque ad legitimam testamento patris exhæreditatis, nihil omnino transferri valide posse, cum filii ita ex beneficio parentum nihil omnino ex ipsorum patrimonio percipiant. Vid. Peckius de Success. Conj. Testam. l. 2. c. ult. Rolandus à Valle de Dote quæst. 27. qui ad argumenta, quæ in contrarium afferri possent, fusius responderet. Neque obscura hujus juris ratio esse potest: ex eo enim, quod præter legitimam liberis à parentibus relictum fuerat, metiendum censuerunt Romani, quantum parentes novercalibus delinimentis & instigationibus fuerint corrupti, ut nostra faciamus verba l. 4. D. de inoff. test. Quemadmodum vero hac potissimum ratione partem mali, quam promiscua testandi licentia introduxit, sanare Romani eximiè conati sunt; ita ab instituti nostri ratione haud alienum erit, in vigorem legis hujus Leonianæ hodiernamque ejus in praxi auctoritatem paulò accuratius inquirere. Diversimode hac de re diversi sentiunt: alii enim ne contrario quidem statuto aut consuetudine tolli eam posse existimant: alii omnino in desuetudinem eam abiisse contendunt: rursus alii ex praxi saltem Germanicâ eliminandam autumant: alii denique in dubio juxta legem istam Edictalem pronunciandum esse censem, ubi expresa lege aut consuetudine contrariâ derogatum eidem esse doceri nequit. Tralatitium quidem alias est, *Leges posteriores derogare prioribus* l. f. D. de Const. Princ. non defuerunt tamen iis temporibus, quibus jurisprudentiam quoque barbaries aliqua infecerat, JCri, qui restrigendum hoc ipsum ad eas leges crediderunt, quæ clausulâ, ne abrogari possint, munera non reperiuntur. Nunc autem Leonianæ huic Constitutioni insertum diserte est, quod valere in perpetuum debeat, ut adeò tolli eandem minimè posse non-

se nonnullis visum fuerit. Vid. Roland à Valle de Dore quæst.
 24. Verum non adjicet temerè quisquam huic sententiæ cal-
 culum suum , nisi sanæ Politices omnino rudit. Cùm enim
 summus Imperans superiorem se habeat neminem , nisi DE-
 um , nec semeipsum nec successorem , eadem quippe pot-
 estate eodemque jure utentem , constringere adeò Legibus po-
 terit , quin pro diversitate temporis & incidentium circum-
 stantiarum diversum vel ipse vel successor statuat. Conf. Her-
 tius Diff. de Legibus clausulâ , ne abrogari possint , munitis ,
 & Mevius ad Jus Lubec. part. 2. tit. 2. art. 12. Neutiquam ta-
 men hinc universalem hujus legis abrogationem colligere li-
 cetur , quæ cùm facti sit , juxta generale JCTorum Brocardicum ,
 ab allegante probanda erit. Videri quidem posset ex odio
 secundarum nuptiarum & enormi apud veteres viduitatis
 pretio hanc Constitutionem unicè profluxisse , adeoque per
 Jus Canonicum eversam eandem fuisse , cùm pœnae , in odium
 secundarum nuptiarum adinventæ , eodem sublatae sint. Vid.
 c. penult. & ult. X. de Sec. nupr. ubi statuitur , mulierem
 post obitum viri intra tempus luctus seu unius anni spatium
 nubentem , nullam tamen ob id subire infamiam. Verum
 non desunt , quæ huic etiam objectioni regeri possunt : quam-
 vis enim non negemus c. illud penult. & ult. cit. præ dispo-
 sitione Juris civilis in foro habere locum , inde tamen Leon-
 nianæ Constitutionis robur minimè infringitur. Falsum enim
 primò est , scopum Leonis in ferendâ hac lege unicè fuisse
 odium secundarum nuptiarum , cùm Ipse de eo tantum ca-
 su loquatur , quo liberi ex priore matrimonio supersunt , quo-
 rum adeò favor hic potius militabat , quām viduitatis preti-
 um , quippe quod in eo etiam casu haberet locum , ubi ste-
 rile omnino fuit matrimonium prius. Scilicet id agebat hīc
 Imperator , ut vitricorum & novocarum artes cohiberet ,
 Romæ olim ita frequentes , ut Quintilianus etiam declam.
 2. profiteri ausus fuerit , Bonos privignos à novercis facilius
 decipi , nec levius odio haberi. Idem imò Auctor edocere nos
 potest effectum odii novocalis in cernendâ patris hæredita-
 te , quem paulo post his verbis expressit : Notum hoc . Judi-
 ces , & vulgare facinus est , quod plerumque contra liberos

amantur uxores & sequentium matrimoniorum non aliunde,
 quam de damno pietatis affectus est. Cum vero favor libero-
 rum prioris matrimonii jure Canonico sublatas minimè sit,
 nec sublatæ etiam per illud erunt Leges favorem istum con-
 cernentes. Vid. Perezius ad tit. C. de Sec. nupt. & Gon-
 zalez Tellez in comm. ad c. ult. X. de Sec. nupt. Hinc
 Gaiilius etiam & Doctorum plerique distinguunt inter leges
 odium secundarum nuptiarum & inter leges favorem libero-
 rum continentis; illas, non has jure Canonico sublatas af-
 ferentes. Imò non defunt, qui ulterius adhuc progressi haud
 absque fundamento contendunt, non nisi unicam infamie
 poenam, fœminæ præproperè nubenti olim dictatam, eversam
 per Jus Canonicum esse. Ipse namque Innocentius in d. c.
 fin. distinxit inter poenam præproperè nubentis mulieris &
 poenam alterâ vice nubentis post annum luctus: quarum
 illam dicit auctoritate Apostolicâ esse sublatam, has ve-
 ro manere non sublatas. Et cum Jus Pontificium unam
 tantum expressè poenam abrogaret, Jus autem correctori-
 um non nisi strictam interpretationem admittat, cur stare
 prohibetur, quod immuratum non est. Vid. I. 27. C. de
 test. & Rittersh. diff. Jur. civ. & Can. I. 2. c. 6. Neque solidius
 abrogatio hujus juris per Germaniam demonstrari potest.
 Ad rem enim minimè faciunt, quæ ex Speculo Suevico
 hoc trahuntur: cum nec contrarium in Jure Provinciali Al-
 lemannico dispositum sit, nec si dispositum foret, infringe-
 retur ob id Leonianæ Constitutionis hodierna validitas. Fa-
 temur equidem ultro, Suevicum & Saxonicum Jus non solum
 per maximam Germaniae partem, sed & per exterias terras
 usque adeò se expandisse, ut Carolus IV. in A. B. fines Imperii
 Vicariorum juxta utriusque Juris limites determinaverit.
 Fatemur & illud, civiles Romanorum Leges non nisi in
 subdividuum institutorum patriorum fuissent receptas, neque ea-
 rum receptione quicquam derogatum fuissent valori Jurium
 jam antea publicâ auctoritate in Imperio receptorum & Maxi-
 miliani tempore adhuc vigentium. Inferre tamen inde minimè licet, Speculi Suevici auctoritatem auctoritati juris Ro-
 mani hodie præponderare. Erat utique tempus, quo Ger-
 mani non tam scriptis Legibus, quam consuetudinibus rege-
 ban-

bantur, cùm Francorum illa Jura à Carolo M. & successoribus ejus promulgata paulatim manibus hominu*m* & memoriā excidissent. Postea non uno tempore, sed paulatim in eam formam Speculum Suevicum & Saxonicum est redactum, quam hodiè habent, privatā tamen tantum auctoritate. Hinc cùm Leges illae Saxonicae Suevicæque usu magis, quām publicā auctoritatē starent, renascentibus bonis literis & adornatis ad exemplar Scholarum Italicarum Academias Germaniæ, cùm forum & tribunalia implerentur hominibus in Italiâ institutis, non poterat non ingens Romanis Legibus pretium accrescere, in tantum denique auctum, ut publicā sanctione Justinianeum Jus in Germaniâ recipereretur, non quidem nisi in subsidium legum patiarum, sed eo tempore, quo memoria ferè Speculi Suevici evanuerat omnino & sepulta erat. Vid. Hert. in Diff. de Consult. Leg. & Judic. in spec. R. G. I. Rebusp. Vix cuiquam certè temporum illorum, quibus Maximilianus Ordinationem Cameralē promulgavit, conditio-nem perpendenti in mentem venire poterit, vel Imperatorem vel Status Imperii de compilatione istâ Juris Alemanniæ, multa utique absurdæ & incongrua continente, cogitasse. Atque cùm ipse Colerus, doctissimus Juris Saxonici indagator, afferere non dubitaverit, allegantem Jus Saxonum extra Ducatus Saxoniz receptionem ejus probare debere; quid de Suevico Speculo dicemus, quod iniquiora adhuc quām Saxonum Jus fata fuit expertum? Praxin sanè fori, usum Cameræ Imperialis atque receptum in judiciis Germanicis ubivis judicandi modum si consulamus, manifestò apparebit, eviliuisse omnino à longo jam tempore Juris illius regii provincialis auctoritatem, nec ullum ferè JCtorum ad id in judicando haec tenus respe-xisse unquam, quos omnes tamen in imperitorum propterea Legulistarum censum referre velle durum nimis fore, & grande postulatum. Et quicquid tandem de auctoritate hujus juris sit, hoc certum est, non repugnare illud quoad favorem liberorum prioris matrimonii juri Romano. Diximus jam, tantum apud alias gentes non fuisse testamen-torum usum, quantus apud Romanos fuerat. Hinc apud Germanos etiam ante receptionem Juris Romani admodum

alle exiguus extitit. Ex ipso namque Speculo Suevico id elicere licet, regulariter existentibus liberis patri non nisi de mobilibus testari licuisse, & nec de his quidem promiscue. Ita enim hac de re caput 285. edit. Goldast. disponit: Ist daß ein Weib ein Mann hat/ und hat kind bey Ihr siel oder viel. der lyt an seinem tod/ und hat fahrendes gut/ daß theylet er mit weib und kinderen. Mag er mit recht einem mehr geben als dem anderen? Wir sprechen also: an dem todbett muß er gleich theylen/ es sy dann/ ob der kind eines elter ist/ daß das ander. dem mag er mehr geben/ und jeder Seele ihren theyl. Und will ein Mann sein fahrendes gut theylen unter weib und unter kind/ dieweil er sich vermag/ so giebt er mit recht einem mehr als dem anderen/ also daß er mag einem zwierend als viel geben als dem anderen/ und darüber nit. Sed & in capite proximè antecedente disponitur, quod in casu secundarum nuptiarum non modò pater materna bona restituere liberis prioris matrimonii teneatur, sed & omnia ea iis relinquere, qua possidebat ipse, cum primas nuptias celebraret: quodque residuum tantum ratione mobilium inter uxorem secundam & liberos dividere queat, concessâ tamen una facultate ad pias causas aliquid legandi: haec enim illis temporibus ab Ecclesiasticis nunquam neglectæ fuerunt. Verba ipsa capituli illius ita se habent: Und ist/ daß ein Mann ein Weib hat/ und kind hat bey ihr/ es seyen Sühn oder töchteren. die stirbt/ und er nimmet eine andere/ die gewinnet ein kind/ oder mehr. der Mann leyt an seinem todbett/ und schaffet seinem kind/ und seinem weib und seiner Seele/ und gibt sein erb daß er by der Ehefrauen het seinen Chekindern/ und seiner Frauen ihr gut wieder/ und seins guts als viel als sie zusammen kamen ohne geding/ so theylet ers gelich unter weib und unter kind/ und der Seelen ihren theyl. Also soll er theylen sein fahrendes gut. Ut ergo nostram quoque tandem de hac controveria sententiam proferamus in medium, illud ante omnia facilè largimur iis, qui diversam huc à nobis opinionem foveant, solere sapienti legi sexta Edictali per contraria statuta derogari. Refert aliquot hujus rei specimina in aureo de Praesumptionibus opere Menochius hinc inde. Et certum est, in
iis

iis locis, quæ Saxonum jure utuntur, nullum ferè esse aut
 exiguum admodum totius tituli C. de Sec. nupt. usum, teste
 Berlichio, Carpzovio, Henelio aliisque. Atque de his etiam
 locis explicandus est Brunnemanus, quando de abrogatione
 harum Legum loquitur. Verū citra contrarium ejusmodi
 statutum aut consuetudinem in dubio pro validitate Legum
 illarum, quæ in tit. C. de Sec. nupt. comprehenduntur, pro-
 nuntiandum juxta communem Doctorum sententiam cense-
 mus, modò illa favorem liberorum prioris matrimonii respi-
 ciant. Comprobat hoc ipsum vulgata illa J. Ctorum regula:
*Justinianas Leges allegans intentionem suam probasse censem-
 dus est, donec abrogatio illarum ab adversario demonstretur.*
 Agnovit hoc & ipse Menochius, quippe qui consl. 469. nul-
 lus dubitavit provocare ad Constitutionem istam & in eā se
 fundare. Et nisi hoc, quod modo mempravimus, axioma ad-
 mittetur, mira inde juris incertitudo oriretur, corrueret ro-
 bur sanctionis Maximilianeæ, quâ Legis vis juri Romano con-
 ciliata fuit, & everteretur denique usus fori à multis jam re-
 tro annis per maximam Europæ partem receptus. Evidem-
 nos non later, Doctissimum Dissertationis Epistolica de Germani-
 carum Legum veterum & Romani Juris in Republ. nostrâ
 origine auctoritateque præsenti Auctorem (qui se Conradum
 Sincerum vocat) impugnare vulgatum illud de usu Juris
 Romani Brocardicum, & inversâ regulâ tradere: *nullib[us] Ro-
 manas Leges in Germaniâ vigere, nisi ubi recepta docentur,*
quod confirmata nusquam expresse reperiantur. Verum Illu-
 stris Datius in eximio de Pace Publ. opere l. 4. c. i. n. 104.
 & sqq. egregiè ostendit sub voce *der gemeinen Rechten* / non
 alias nisi Romanas Leges latere, non verò jus patrium, uti Au-
 òtor ille contendit. Possunt imò pro stabiliendâ auctoritate
 legis hujus Leonianæ innumera allegari diversarum gentium
 prajudicia. De usu Camerali præter Mynsingerum aliosque
 Cameralistis testatur Gaius l. 2. Obs. Praet. obs. 98. De Fri-
 siâ Sande l. 2. tit. 3. def. 6. De Lubecâ Mevius ad Jus Lubec.
 part. 2. tit. 2. art. 12. De iis Galliæ provinciis, quæ Jure scripto re-
 guntur, Boerius decis. 201. & Despeius dans ses Oeuvres p.
 262. ubi plurimas diversorum Parlamentorum res judicatas
 assert

affert in medium. Conf. quoque Fachin. controv. Juris l. 3. c. 67. Tabor decis. 142. Anton. de Sousa decis. Lusit. 12. Pruckmann. vol. 2. Cons. 1. n. 499 & sqq. Scipio Gentilis de Secund. nupt. c. 16. & Mæstertius de Sec. nupt. quæst. 42. & sqq. Sed & suppetunt magno numero præjudicia, quæ superfluum illud, quod novercæ vel vitrico ablatum est, liberis prioris matrimonii unicè addixerunt. Vid. Rosler. decis. 16. Memorari in primis merentur, quæ habet le Journal des Audiences l. 3. c. 31. ubi exemplum affertur in medium, quo casus noster in favorem unici filii ex priore matrimonio orti contra 5. liberos posterioris matrimonii juxta modum Authent. ad eos solos bis (scilicet & in primâ & in secundâ instantiâ) decisus fuit; simul diluuntur, quæ in contrarium adversus æquitatem & consuetudinem hujus dispositionis allegata ab Advocato posteriorum liberorum fuerunt. Neque verò objicere his licet, forsan ex peculiari consuetudine provinciæ decisionem istam promanasse, eum disertè, quod in provinciis Juris scripti hoc jus locum habeat, doceatur; & unicè ad Novell. 22. & desumptam inde Authenticam ibi provocatum fuerit.

Sed redeundum nobis est è diverticulo in viam, & reliquæ etiam captatorum nostrorum species percurrende. Retulimus supra altero loco inter hæredipetarum artes supposita testamento subornatosque testatores: quod improbissimum falsi genus, ut Plinius vocat, ut è Republicâ suâ eliminarent Romani, duobus iisdemque diversis modis tentarunt, tum id agentes, ne exerceri facilè fraus hæc queat; tum convenienter pœnâ exercitam fraudem prosecuti. Priorum finem intendunt plurimæ & innumeræ ferè solennitates illæ, quibus supremi arbitrii declaratio Jure Romano circumsepta esse conspicitur: quod subscriptione & subsignatione 7. testium firmandum testamentum: quod testator eidem in testium præsentia subscribere, aut oœstavum adhibere testem teneatur: quod testes animo corporeque videre & audire testatorem: quodque intelligere debeant testamentum fieri, antea ad id rogati: quodque denique testis esse nequeat, qui sanguine aut porestate hæredi junctus. Porro huc ea etiam spectant, quæ de aperturâ Tabularum Romæ olim coram Magistro

gistro censūs peragenda Edicto Prætoris disposita fuerunt: non potest enim illa fieri, nisi convocatis omnibus, quorum interest, & testibus etiam, qui signa & subscriptiones recognoscunt; adèò, ut si ex horum numero nemo supersit, invalidæ habeantur tabulae, modò ad eorum publicationem provocant illi, quorum interest. Neque introducti hujus juris ratio in vicefimā hæreditatis unicè quærenda, cùm in extraneis hæredibus publicatio illa requiratur etiam post abrogatam jam vicesimam illam. Lex enim un. §. 5. C. de cad. tollend. de suis tantum hæredibus loquitur, nec utpote veteris Juris abrogatoria per interpretationem ulterius extendenda est. Vid. Schilt. Exerc. ad π. 38. Adeò autem necessaria hæc res videbatur, ut in Codicillis etiam requereretur, in quibus alias plures alias solennitates remissa sunt. Vid. I. f. C. testam. quemadmodum aper. Patet jam hinc, absque omni ratione dispositionem Juris civilis, septenarium numerum requirentis, à Canonico jure improbari, quod obtorto utique collo illud Christi dictum huc trahit: *in duorum aut trium ore veritas.* Quasi vero hoc ipso denegaretur Legislatori facultas majorem testium numerum iis in casibus requirere, qui improborum machinationibus quam plurimum subjacent. Nobis certè in eo potius Jus Romanum laborare videtur, quod, cùm ab initio non sine fundamento, ut vidimus, tot solennitates in testamentis requisiverit, magnam postea earum partem veluti remiserit rursus, introducto Codicillorum usu, qui sanè æquè ac testamenta subornari facile possunt. Verum cùm ne tot quidem solennitatibus caveri satis potuisset, ne darentur quidam ingeniosè scelesti falsum testamentum aut testatorem subficiientes, necessarium Romanis vi-
suni fuit eò graviore pœnâ hanc nequitiam refrænare, quod major erat genuinæ ultimæ voluntatis apud ipsos favor. Non contenti igitur enormem dolum huncce inter stellionatus species referre, peculiari de falsis Lege eundem notarunt. Docet hoc nos I. 2. D. de Leg. Cornel. ubi Paulus: *Qui testamentum amoverit, celaverit, eripuerit, deleverit, interleverit subjecerit, resignaverit: quive testamentum falsum scripserit, signaverit, recitaverit dolo malo, cuiusve dolo malo id factum erit: legie Cornelia pœnâ damnatur.* Imò ut magis adhuc peccandi occasio

casio falsariis præscinderetur, Lege Cornelij & eum teneri
 voluerunt, qui Legatum sibi aut fideicommissum adscripsisset,
 dictante licet ipso testatore: quod legi Corneliae ex Claudi
 Edicto additum fuit. Vid. l. 15. D. eod. Gravissima autem erat,
 quæ per Legem Corneliam introducta fuit, falsi pœna, de-
 portatio scilicet & omnium bonorum publicatio, vel liberæ
 Reipublicæ temporibus aquæ & ignis interdictio: ultra quam
 vix civem Romanum atrocis plectere licebat. l. 15. §. ult. D. eod.
 Tertiò de eo quoque solliciti fuerunt Romani, ut vim omnem à
 testatore arcerent. Naturali quidem jure si hæres ab intestato
 vel in testamento quodam scriptus testamentum fieri vel fa-
 ctum corrumpi dolo vel metu prohibuit, illi, cuius interesset,
 metum illatum non fuisse, ad interesse tenetur. At cùm
 Romanis accepta admodum esset libera testandi facultas, Ha-
 drianus Imperator gravius puniendam censuit hanc hæredi-
 tatum captationem. Non modò enim qui fraudem aut vim
 hic adhibuit, illi, cui hæreditas destinabatur, actione de do-
 lo vel in factum ex L. Aquil. ad interesse persolvendum ob-
 ligatur; sed portio præterea ejus hæreditaria à fisco vindica-
 tur: aufertur enim ea ut indigno. Quæ verò ut indigno aufer-
 runcur, fisco cedunt per t. t. de his, quæ ut ind. Quod ipsum
 Germanis etiam placuit, licet illi confiscationes Jure Roma-
 no alias introductas in foro non admitterent. Vide Consti-
 tutionem Friderici I. de Regalibus 2. F. 56. Porrò supra
 jam ostendimus, Romanos, etiæ actiones, metu majoris mali
 extortas, validas ipso jure regulariter censerent, in testamen-
 tis tamen contraria legislatione usos esse: sed nec denegato
 tantum nequitiz fructu irritoque declarato testamento vio-
 lentum ejusmodi hæredipetam puniverunt, verum permis-
 erunt etiam contra eundem actionem institui criminalem, ad
 extraordinariam pœnam infligendam. Hoc enim volunt verba
 l. 1. C. si quis aliq. test. prohib. Civili disceptationi (ait
 Alexander Imperator) crimen adjungitur, si testator non suā
 sponte testamentum fecit, sed compulsius ab eo, qui hæres est in-
 stitutus, vel à quolibet alio, quo noluerit, scripte hæredes.
 Vnde simul & decisio quæstionis illius Sabbatinæ, quam Glof-
 fator hic movet, manifesta est, vim scilicet talem nocere er-
 iam

iam ei, qui ignorat vim adhibitam, si coactus ei quicquama
testator reliquerit. Vid. Schilt. Exerc. ad π. 38. §. 183.

Transendum jam nobis ad subtiliorum Hæredipetarum
castra, ubi maximus Jurisprudentia Romanæ defectus lese exse-
rit. Neque enim poterat prohibere Legislator, ne muneribus, of-
ficiis, exhibitâque reverentia colantur divites, nec quò minus
id fieret impedire, quâm diu lucrum ex artis hujus professione
sperare licebat, id est, quâm diu ampla adeò competere
morituris de bonis suis disponendi potestas. Introducta qui-
dem, ut aliquo modo incommoda hæc tollerentur, inofficio-
si testamenti querela fuit, sed eam parum sufficientem depre-
hendet, qui vel paulisper secum perpendet, quâm odiosa il-
la fuerit Romanis. Imminutum quidem inde ab Imperatori-
bus odium querelæ fuit; introducta actio legitimæ suppletoria,
à quâ pleraque, quæ querelam comitabantur, incommoda ab-
esse jussa sunt; auctus etiam favor legitimæ tum in quantitate,
tum in eo etiam, quòd licet quis necessariò in legitimâ instituen-
dus minimè esset, cum eadem tamen vel ex minimâ parte
designandus hæres veniret. Imò determinata etiam tandem
certa exhæredationis cause, præter quas alias, non sub enar-
ratis comprehensas, admittere Judici non liceret, quòd ve-
teris Juris ambiguitas tolleretur. Hunc enim scopum propo-
suisse sibi h̄c Justinianum ex ipsa Novellâ 115. manifestum cui-
vis erit. Verū dum ita ab unâ parte legitimæ favor augen-
tur, ab alterâ vicissim testamentariæ successionis favor mirum
in modum amplificatus itidem fuit. Hoc enim fine introdu-
ctum Codicillorum jus & fideicommissa adeò latè extensa,
ut omnia ferè, quæ alias non subsistebant, illorum jure sub-
sisterent. Hoc fine comprobatum illud l. f. C. de fideic. re-
medium, quo fideicommissum absque scripturâ & testibus
relictum, delato alteri juramento, post prästitum prius à fi-
deicommissario calumnia jusjurandum, petitur. Et hoc de-
nique fine sancitum, ut fecus ac olim querela inofficioi re-
stamenti non universum testamentum, sed hæredis tantum
institutio corrueret, reliquis ejusdem capitulis salvis rema-
nantibus. Vid. Nov. 115. c. 2. cuius hac in re dispositionem
etiam in fratribus habere locum, Justiniani menti magis con-
venire

venire arbitramur. Fuit his omnibus conciliatus speciosus popularitatis prætextus ab Imperatoribus, sed nescio an non illi aliquando aulicorum fraudes h̄c foverint illudque egerint, ut ad paucos opes per testamenta confluerent, quibus ipsi spongiarum deinde loco uti possent. Ut autem in subtiliorum captatorum technis cohibendis minus diligentē se Romani præstiterint, non deerunt tamen, quā hinc inde ex illorum iure exemplis suprā à nobis allatis applicare poterimus. Et circa primum quidem Reguli exemplum à Plinio commemoratum observare illud licebit, Romanos cā maximē ratione deceptis succurrisse, ut in ademptione legatorum non admodū difficiles se præberent, contrariam testatoris voluntatem hic tantū secuti. Hinc l. 13. & 29. D. de adim. & transfer. leg. constituitur, ablatum videri legatum, si in postremā scripturā testator legatarium hominem pessimum aut ingratum appellaverit: unde concludere licet, idem obtinere si vivā voce coram V. testibus id fecerit. Sed & hoc spectat argum. l. 27. cod. *Ex parte heres institutus* (ait ibi Papinius) etiam legatum accepérat. Eum testator inimicitis gravissimis persecutus, cūm testamentum aliud facere instituisset, neq; perfidere potuisset, præteriit. Hereditario quidem actiones ei non denegabuntur: Sed legatum si petas, exceptione dolii mali submovebitur. Non adeo scrupulosi nimirū erant Romani in legato adimendo ac in hæreditate, quod morituros non aquē circumspectos in eligendā personā legataria ac hæredis nosset. Ad alterum Reguli exemplum pertinet l. 34. D. de his, quā ut ind. *Indignum esse divus Pius illum decrevit*, qui manifestissimè comprobatus est id egisse, ut per negligentiam & culpam suam mulier, à quā heres institutus erat, moreretur. Vnde colligunt Doctores, maritum quoque privandum portione statutaria, si qua moribus obtinet, ubi culpā sūt uxorū morrem acceleravit. Sed &, ne quam fraudem hic Medici comminisci possent, placuit eos actione Legis Aquilie teneri, si vel imperitiā suā vitæ defuncti nocuissent. Vid. l. 8. D. ad L. Aquil. ut nimirū ita illi deterrerentur, ne in gratiam hæredum aut legatariorum ægrum testatorem negligenter. Porro ne quis proprii testamenti confectione infiduciari

diari bonis alterius auderet, ita à Romanis provisum fuit, ut nullo pacto ambulatoriam hominis ad mortem usque voluntatem impediri posse censerent. Ita enim fiebat, ut insidiator ejusmodi vereri semper cogeretur, ne alter mutare supremi arbitrii tabulas institueret. Cum verò & hanc re partem libertatis testandi Quirites quærerent, adeò hæc mutandi facultas illorum Legibus stabilita atque extensa fuit, ut in testamentis etiam conjugum reciprocis locum haberet, si vel maximè alteruerer conjugum mortuus jam esset. Imò denegata etiam fuit adjecta testamento in contrarium clausula omnis vis, utrū quis cā jurato promisisset à sententiā secedere se nolle. Vid. l. 22. D. de Leg. 3. ubi hæc ratio additur: *quod nemo sibi possit eam legem dicere, ut à priore ei recedere non liceat.* Conf. quoque Gail. 2. obs. 113. & Mynsing. 2. obs. 8. Diversis imò verbis captatoria ejusmodi institutio improbatur l. 70. & 71. D. de her. inst. & l. 1. de his, quæ pro non scriptis hab. in quibus invalida pronuntiatur ejusmodi hæreditis institutio, quæ vicissim ad adeundam alterius hæreditatēm se refert, si quis v. g. ex cā parte Titium successorem denominaret, ex quā ipse à Titio designatus esset. Quæ verò paulo pōst à nobis recensetur Hæredipetarum ars per substitutiones & fideicomissa in aliorum patrimonia graftantum, illa adeò Jure Romano everfa non fuit, ut insigniter potius eodem stabiliterur. Cum enim semel immensus ille ultimi arbitrii favor invaluerit, Quirites primi gradūs hæreditis institutione minimè contenti, ulteriorum etiam graduum hæredes designarunt, ut futuri eriam casibus prospicerent. Atque ne ulli certa esset hæreditatis in legitimos successores transmissione, introducta ad exemplum pupillaris substitutionis Justinianæ substitutionis specie, data etiam ascendentibus potestas fuit de bonis eorum disponendi, qui vel furore vel alio naturæ minus benignæ casu, quod minus ipsi res suas ordinarent, impiedebantur. Nec hæc satis: sed jam antea sub Augusto iuris effectus conciliatus fideicommissis fuit, cum alias nemo invitus præstare cogeretur id, de quo rogatus fuerat. Ex hoc ergo jam fonte non poterant non innumeræ fraudes & copiosissimi dissidiorum rivuli scaturire, cum hæredipetæ

tam amplam à Legibus concessam libertatem in commodum suum vertentes litium semina inter propinquos spargerent, idque efficerent, ut quæ apud concordes vincula caritatis erant, incitamenta irarum apud infensos essent. Hodierna certè experientia etiam abunde nos edocet, non aliâ re magis & excitari & foveri inter coniunctos inimicitias, quam per crebras substitutiones & fideicommissa, dum qui alienis bonis inhiant, nullam occasionem omittunt exoscos reddendi suspehosque testaturis eos, ad quos extinctis forsitan liberis hæreditas perventura erit; & testaturi vicissim hac maximè ratione & propria simultati indulgere & odia aliorum contraherere solent. Sed & fraus ita saepius Legibus fit, dum qui directò hæredes institui non possunt, ad hæreditatem per fideicommissa vocantur. Ut autem hæc ita se habeant, Praxis tamen & Doctores ulterius adhuc frœnum malitia humanæ laxarunt, introducētā monstrosā quadam ex fideicommissis & substitutionibus mixturā. Nam cùm alias aditione aut pubertate instituti substitutio exprareret, & fiduciarius hæres hæreditatem fideicommissario detraetā Trebellianicā restituere mox cogeretur; placuit Romanis huic etiam substituendi modo auctoritatem conciliare, ut qui primus rebus humanis eximeretur, alteri portionem hæreditariam restituere rogaretur: quod cum aliter quam verbis precariis (testamento nimirum tantum excepto) fieri non posset, usū fori ita extensum fuit, ut si directis etiam verbis substitutio ultra pubertatem fieret, nihilominus illa subsisteret. Quā ratione id unā effectum est, ut ne Trebellianica detrahi ab hærede ab intestato posset. Non defunt quidem, qui contrarium verius centent. Sed nos hīc amplectimur Illustris Schilteti sententiam, qui hoc inter fideicommissariam substitutionem & mixtam illam ex usu introducētam discrimen assignat, quod in priore Trebellianica locum habeat, secus ac in posteriore. Neque enim hīc hæres defuncti ab intestato ullo modo succedit, aut ut hæres fiduciarius restituit, cùm per substitutionem sit exclusus: verūm defunctus hæres, cui in testamento per fideicommissum substitutum tuerat, immediate restituit moriens transmittitque hæreditatem substituto. Obstare his videtur vulga-

vulgatum illud cap. Raynulius X. de testam. Sed illud de casu speciali , ubi matris favor militabat , disponit. Vid. Schilt. Ex. ad n. 40. §. 39. & sqq. Aliquale tamen & in substitutionum materiâ remedium occurrit insidiatorum machinationibus oppositum. Cum enim nonnulli formidarent , ne pupillus ex eo , quod palam substitutum accepit , post obitum suum insidiarum periculo subjaceret , permisum ipsis fuit , vulgarem quidem substitutionem palam facere , pupillarem vero separatim in inferioribus partibus scribere , eamque proprio lino consignare , & in priore parte testamenti cavere , ne inferiores tabulae filio vivo & adhuc impubere aperiantur. Sed quam leve hoc sit , & vix partem mali attingat , nemo non videt. Longè felicius illorum vulturum artibus obicem posuit Jus Romanum , qui sub adoptionis praetextu titulum sibi successionis in hereditatem adoptati quarebant : Quodsi enim filius familiâs à patre naturali personæ extraneæ in adoptionem dabatur , nihil quicquam ad patrem adoptivi transibat per Constitutionem Justiniani exhibitam I. pen. C. de adopt. nisi adoptans unus ex ascendentibus esset : quo in casu , quia naturalia & adoptionis jura in unâ personâ concurrebant , insidiis locus non erat. Si vero homo sui juris in filium ab extraneo adsumebatur , fieri id aliter non poterat , quam imperato desuper Imperiali Rescripto , & praecedente exactâ causâ cognitione , quâ in scopum arrogatoris inquirebatur. Insuper , ut omnis captandi bona arrogati ansa præscinderetur , arrogator cavere tenebatur de bonis arrogati restituendis , si intra pubertatis tempus ille dececessisset , quo testamentum condendi facultas arrogato adhuc nulla competitabat. Imò quò magis ab his fraudibus improbi absterrenetur , cogebantur illi non aliter arrogatum emancipare , quam si dignus exhortatione erat ; alias vero quartam bonorum partem eidem relinquere : quod nos non de universis bonis , sed portione portionis , ab intestato debita , explicandum verius existimamus , quicquid in contrarium opponat C. I. A. ad tit. de Adopt. §. 51. Restat , ut ea Juris fundamenta itidem evolvamus , quæ speciatim Clericos respiciunt. Erat utique tempus , quo Tyrannorum telis impetrata navicula Christi frumenta

etiam

Cūm liberalitatis piorum percipere non poterat , cūm non
 magis Christianorum coetui sub Ethnicis Imperatoribus re-
 linquere quicquam liceret , quām Judæorum Collegiis , non-
 dum approbatis scilicet Imperiali Rescripto Congregationi-
 bus illorum . Verūm alia rerum facies esse cœpit , postquam
 Constantinus M. emissā religionis Christianæ professione ex-
 ternum Majestatis Cœfareae fulgore simplicitati cœtūs Christi-
 anī egregio connubio sociavit . Is enim cūm ubique pietatis
 famam captaret , promulgatā Constitutione unicuique licen-
 tiā dedit , Ecclesiæ cuicunque Catholicæ quacunque tan-
 dem bona ultimā voluntate relinquendi . Vid. l. 4. Cod. Theod.
 de Episc. Eccl. & Cler. & ibi Gothofr. Verūm cum inde si-
 eret , ut mulieres & viduæ in primis , vano pietatis studio actæ ,
 bona sua cum consanguineorum injuriā Ecclesiis transcribe-
 rent , atque ex Senatorum etiam superstitionā profusione clara-
 rum domorum insignia ad sacrum ordinem confluenter , pu-
 blicè interesse credebatur , fibulam huic rei imponi . Hinc
 Valentinianus senior fœminis quibuscumque interdixit vel do-
 natione inter vivos vel extremō judicio liberales se exhibere
 erga Clericos , nisi jure cognitionis bona ad eos spectarent .
 Et postea Valentinianus unā cum Theodosio Imperatore de
 Diaconissarum bonis disposuit , ne & Ecclesiastici , & Ec-
 clesiæ , & pauperes quicquam ex iis percipere queant , impro-
 batis quoque fraudibus , que passim per tacita fideicommissa
 fiebant . Vid. l. 20. & 27. C. Theod. eod. Arguit quidem ini-
 quitatis has Leges Baronius Tom. IV. Annal. Eccles. ad ann.
 Chr. 370. n. 118. & sqq. sed absque solidō fundamento . Ipse
 profectō causam juris hujus à quaestuariā & fordidā Clerico-
 rum monachorumque officinā derivat : Ipse Valentiniani se-
 nioris ingenium , quod in cæteris Ecclesiastica jura sarta te-
 cta servari voluerit , deprædicat : Ipse denique ejusdem Valen-
 tiniani constitutionem Damasi Papæ consensu firmatam fate-
 tur . Vnde colligere forsitan haud inmerito quis posset , ini-
 quia etiam quandoque à summis Pontificibus approbari , quod
 absurdum sine dubio Baronio videbitur . Sed ille forsitan (ut Am-
 brosi verbis utar) *injuriam putavit , quod dispendium dole-
 ret.* Et ut jam de Clericorum avaritiā ea non repetamus ,
 quæ

quaē fusiū circa hoc argumentum supra differimus? quis nūt Historiarum penitus rūdis ignorat, divitiarum abundantia primāvam Christianorum sanctitatem veluti labe quadam infectam, & inter extēnum luxum veram erga Deum pietatem emacuisse: cūm inter dirissimas persecutōnes & fævillima tyrannorum tormenta longē majora ceperit res Christianae incrementa, quād cum altā postea illa pace superbiret. Et siquæ sunt, quaē justitiæ harum Legum objici ulteteritis possunt, iis satisfacit Ambrosius in libello advers. relat. Symmach. ubi inter alia ita: *Scribuntur testamenta ministris templorum, nullus excipitur prophanus, nullus ultima conditio- nis, nullus prodigus verecundus: Soli ex omnibus Clerico com- mune jus clauditur, nulla legata vel etiam gravium viduarum, nulla donatio, & ubi in moribus culpa non reprehenditur, ta- men officio multa prescrribitur.* *Quod Sacerdotibus phani le- gaverit Christiana vidua, valet: quod ministris Dei, non va- let.* *Quod ego non ut querar, sed ut sciant, quid non querar, comprebendi.* Proprius adhuc scopum nostrum attigit Hieronymus his verbis epist. 2. ad Nepot. Valentiniani senioris sanctionem commendans: *Pudet dicere, Sacerdotes idolorum, mimi & aurige & scorta hereditates capiunt, solis Clericis ac monachis hac lege prohibetur: & non prohibetur a persecutoribus, sed a Principibus Christianis.* Nec de lege con- queror, sed doleo, cur meruerimus hanc legem. Cauterium bonum est, sed quò mihi vulnus, ut indigeam cauterio? Pro- vida severaque legis cautio, & tamen ne sic quidem refranatur avaritia. Per fideicomissa Legibus illudimus, & quasi mino- ra sint Imperatorum scita, quam Christi, Leges timemus & Eu- angelium contemnimus. Verūm, cūm non omnes ex Ecclesi- stico ordine eo, quo Ambrosius Hieronymusque ingenio es- sent, sed plurimi amputatai corradendi opes occasionem æ- gerrimè ferrent, abrogatæ rursus postea tam invisa Leges fue- runt. Fecit id Novellā suā Martianus, unde desumta est 1. 13. C. de SS. Eccles. Rursus tamen post longa temporum interolla renovavit veluti has Cæsarum Constitutiones invictissimus Heros Carolus M. Capit. 83. l. i. Capitul. ubi hæc ha- bentur: *Statutum est, ut nullus quilibet Ecclesiasticus ab his perso- nis res deinceps accipere præsumat, quarum liberi aut propin-*

qui hac inconsulta oblatione possint rerum propriarum exhædari. Quodsi aliquis deinceps hoc facere tentaverit, à Synodali vel Imperiali sententiâ modis omnibus feriatur. Ast cum inde Episcopi Romani potentia ad summum culmen effet evecta, & in tristissimam cuncta prolapsa barbariem , seculi genius fecit, ut porta rursus pateficeret sordido illorum Clericorum quæstui, qui dignitate suâ abusi fraudes sanctitatis velo obtutere solent. Juvit hos multum depraedatus tantopere piarum causarum favor, in jure præcipue Canonico egregiè firmatus. Juvit eos & illud, quod refectis aliis ambagibus facilior testandi ratio coram duobus testibus introducta fuit. Sunt quidem plures magni nominis Doctores, Brunnemannus, Richterus aliique , qui nullos omnino testes ad validitatem testamenti ad pias causas requiri existimant, comparantes illud cum testamento militari in procinctu condito : de quo in Jure Romano plura habentur. Verùm si verba cap. II. X. de testimoniis perpendamus, patebit, tres aut duos testes in hoc testamento non minus ac in aliis requiri. Neque enim è re suâ duxerunt Pontifices , speciale quid hîc quoad Clericos introducere : sed quemadmodum de Imperatorum Constitutionibus solennitates Juris civilis remissa non fuerunt quoad pias causas , I. 13. C. de SS. Eccles. ita de Jure Canonico Canonicae etiam ad testamentum pertinentes solennitates quoad easdem subsistere justae sunt, & in eo tantum à Jure Romano discessum fuit, quod in genere ad cuiusvis testamenti vigorem plures duobus tribusve testibus non exigantur. Vid. c. 10. X. eod. Neque his obstat c. 4. X. h. t. ubi nulli profus testes, sed voluntas tantum defuncti Ecclesia aliquid legantis attenditur. De legatis enim tantum ibi Pontifici sermo , in quibus confirmandis facilitiores fuere Canonistæ , quod legitimis hæredibus tantum præjudicium per ea non creetur. Vid. Carpzov. 3. 4. def. 33. Schilt. Ex. 38. Id interim vix dubium cuiquam esse potest, ad valorem iis conciliandum , quæ quacunque ratione piam causam respiciebant , proclive admodum esse Jus Canonicum. Certe Bonifacius c. 1. de test. in 6. substitutionem patris, quâ mater à legitimâ excludebatur , firmam pronunciat, non quod pater id fecerit , (quod ut prætextus adducitur) sed quod fa-

vor

vor piæ causæ militaret in casu ipsi proposito. Ceterum man-
 sit piarum caufatum favor apud Protestantes etiam post Refor-
 mationem, prudentine an secus instituto? judicent alii: no-
 strum enim nunc non est incommoda, quæ inde fluunt, fu-
 sius commemorare. Integris enim voluminibus actum id est
 à Paulo Servita aliisque Venetorum contra Paulum V. Pa-
 pam defensoribus, cum occasione sumti de Clericis quibus-
 dam supplicii & interdictæ immobilium in Clericos translati-
 onis cum Romanâ Sede antiquissima illa Europæ libertatis-
 que suæ adèò tenax Respublica collideretur: quâ de re adeun-
 dus est Thuan. l. 137. Certe ad avertenda illa mala facit tum
 amorticationis jus quibusdam in locis introductum, quo pro
 emtione immobilium seculari potestati certam pecunia sum-
 mam persolvere Clerici tenentur, subtrahentes se alias apud
 Pontificios civilibus oneribus: tum etiam, quod idem fecerat ac
 Veneti ipse Pontifex sanxerit, si vera sunt, quæ pro defensione
 Reipublicæ Venetæ allegat Anonymus apud Thuan. l. c. p. m.
1263. Non desunt tamen, quæ de Canonicō quoque jure Ec-
 cleasticoī Hæredipetarum artibus fuerit opposita. Faci-
 unt huc tum ea, quæ in genere jure illo contra avaritiam ha-
 bentur, quam præcipue à Clericis exulare debere docetur.
 Vid. t. t. de vit. & honest. Cler. &c ne secul. negot. Cler. se im-
 misc. tum in primis, quæ can. ult. cauf. 7. qualit. ult. ex Augu-
 stino de vita Clericorum traduntur: *Quicunque vult* (Cano-
 nis verba sunt) *ex hæredato filio hæredem facere Ecclesiam,*
querat alterum, qui suscipiat, non Augustinum: imò DEO proprie-
tio neminem inveniet. *Quām laudabile factum sancti & ve-*
nerandi Episcopi Aurelii Carthaginensis? quomodo implevit os
 omnium, qui sciant, laudibus DEI? *Quidam enim cum filios*
non haberet, neque speraret, res suas omnes recente sibi usufrui-
(hoc enim in primis solenne olim fuit) donavit Ecclesia;
nati sunt ei filii postea, & redditus Episcopus nec etiam opinan-
ti illi, qua donaverat. Facilius mehercule Augustinus, qui li-
 beris hæreditatem erexit eant, inveniet, quām ullos affectas.
 Ita jam singulas Hæredipetarum species expendimus: quo in
 examine nullam à nobis eorum remediorum mentionem fa-
 tam forsan quis mirabitur, quibus de Civili jure in genere
 dolus coercetur, ut actionis de dolo, exceptionis dolimali, aetio-
 nis

nis in factum: sed definet mirari, ubi perpendet, maximam partem ita comparatas esse vulturum nostrorum technas, ut ex iis fraus eā perspicuitate elici non possit, prout ad fidem de dolo adversarii Judici faciendam Legibus requiritur.

Vnicum adhuc supereft, ut differentiam Rōmani juris à Teutonico indagemus. De antiquissimis Germaniæ temporib⁹ Tacit. c. 20 de M.G. hæc tradit: *Heredes successoresq; suicuiq; liberi, & nullum testamentū: Si liberi non sunt, proximus gradus in possessione fratres, patrui, avunculū.* Sed cum post plurimum anōrum intervalla Heruli, Franci, Gothi, Longobardique Romanas provincias invassissent, ex commercio cum subjugatis gentibus et testamento- rum illæ usum receperunt, qui deinde ad alias itidem Germaniæ gentes transit vel citius vel tardius, prout Romanis illæ provinciis viciniores erant, vel in extrema Teutonica terræ sepositæ. Demonstravit id pluribus speciminiibus adeò fusè & eruditè Schilterus Exerc. ad π. 14. ut Iliada post Homerum scribere & paucissima post uberrimam messem spicilegia colligere meritò vereamur. Sed cùm inde Jus Rōmanum pedetentim à Germanis etiam in subsidium patriorum institutorum reciperetur, (quod minimè seculo demum XV. contigisse arbitramur) magis etiam adhuc invaluuit testandi facultas. Id tantum ex antiquis moribus remansit, ut major successioñis ab intestato, quam testamentaria; major legitimæ, quam dispositionis paternæ favor haberetur. Quo ipso tamen adeò non Juris Rōmani circa Hæredipetas defectus suppleri fuerunt, ut tristissimâ potius experientia edoceamur, eo frequentiores esse captatorum artes, quod minus auxilii contra easdem Leges suppeditant. Sunt scilicet, ut de luxu Tiberius apud Tacitum profitetur, *adulta quedam & prevalida vitia, quorum nisi fons obstruatur, omittere ea satius erit, quam id assequi, ut palam fiat, quibus flagitiis impares sint Leges.* Vtinam verò, quod luxui tum quidem evenit, id de nostro etiam malo sperare licet, ut scilicet rebus cunctis inesse quidam veluti orbis, & quemadmodum temporum vices, ita & morum verterentur! Sed nos nec multum nec nihil profrus huic spēi tribuimus, cùm vani esse quam tristes augures malimus.

T A N T V M !

ORATIO
DE
CAVSIS CORRVPTÆ
JVRISPRVDENTIÆ
SVB AVSPICIIS
DISSERTATIONIS IN
AVGVRALIS
HABITA
ET NVNC AVCTIOR EDITA
JOH. CHRISTOPHORO BARTENSTEINIO,
Argentoratensi,
Philosophiæ D. & V. J. Licentiato.



Dum cathedram hanc, *Auditores suis quisque elogis condecoratissimi*, novitus ego Themidis alumnus conscendo, ipsa juventutis mea recordatio, ipse Amplissimus Confessus Vester & ipsa denique loci hujus, exquisitissimis alias summorum Virorum sermonibus relontantis, conditio non justo minus, quam ingenti me terrore percellunt. Itane ergo rumpendum tandem silentium erit, & rumpendum quidem ab eo, cui sacris Astrææ vixum ritè initiato penetrare in adyta Jurisprudentiæ nondum contigit? Itane verba coram iis facienda erunt, quorum facundissima venerari ora in hoc ipso loco toties jam mihi licuit? ut vel ipsa felicitatis meæ memoria formidanda jam mihi existat. Sed obtemperandum scilicet erat jussui Vestro, obtemperandum mori in hac Vniveritate recepto, ne detrahere quicquam de obsequio videatur anxia forsitan sollicitudo. Simul tamen & eò annitendum mihi esse video, ut quantum ingenii mei vires permittunt, non nisi digna auribus Vestrīs proferam in medium. Fuit hoc maximæ curæ mihi, *Auditores*, ut novitium Oratorem non tam ipsius orationis splendor, quam argumenti dignitas commendaret. Cumque eò plerosque Veltrūm sedulò allaborare nossem, ut ruenti magno cum imperio in priorem barbariem seculo fortissima claustra objiciatis, haud injucundum Vobis fore existimavi, si *de causis corruptæ Jurisprudentiæ* aliqua hac vice differuero. Dignum sanè hoc est expectatione Vesta argumentum, cùm à vobis præcipue neglectæ corruptæque scientiæ & remedia exposcant & sua expectent incrementa. Simul tamen et tale argumentum est, in quo evolvendo inani sèpius conatu summa ingenia desudarunt. Neque verò ego vel dictaturam mihi in re literaria, vel detectæ mali hujus originis gloriam ob
id

id vindico. Absuit longè à me & aberit quoque in posterum semper omne inanis famæ aucupium: nec alia potior selectæ hujus potissimum materiæ mihi causa extitit, quam quod deplorare temporum, in quæ incidimus, miseriæ pietatis, indagare juxta cum aliis mali fontem consilii partem crederem. Quò vero conatus hicce meus felicior procedat, à vobis, *Audatores*, eā, qua decet, animi submissione contendo, ut humanitate & favore Vestro virium defectum supplere benignè dignemini.

Fuit utique tempus, *Audatores*, quo emergentibus è tenebris & horridâ illâ vetere barbarie humanioribus literis Jurisprudentiæ quoque studia passim effluerunt: sed cùm inde, nescio quo tristi fato, neglegētis istis solidioris scientiæ necessariis præparamentis fundamentisque novo proflus instituto eruditionis quasi compendia aliqua quererentur, unâ cum Jurisprudentiæ precio pristinus ille Jurisprudentiæ nitor evanuit. *Auctor Dialogi de causis corrupta eloquentia suorum temporum defectum* non inopiat hominum accidisse scribit, sed desidijâ juventutis & negligentiâ parentum & inscitijâ præcipientium & obliuione moris antiqui. Eadem, imò majora, mala nos urgent, cum inter immensam scientiam Juris excolentium copiam non ulla capiat illa incrementa, sed jaceat, corrumpatur, negligatur. Præcipua sine dubio mali hujus causa est neglegētus aliarum disciplinarum, quibus præparandus ad altiora studia tironis Juris animus est, & sine quibus non nisi inanis remanet & perfunctionaria quedam Legum notitia. Eloquentiæ sane contemptus adeò solennis hodie est, ut non modo secreta divinæ hujus artis passim ignorentur, sed & bellum nonnunquam misero Prisciano ii quoque indixisse videantur, qui se magnos Jctos aestimant. Ea enim apud plerosque perversa jam opinio invaluit, ut politioris Latini sermonis curâ impediri solidam Juris scientiam autument, cùm Romanorum tamen forum nunquam non facundissimis summorum Jctorum Orationibus perfstrepere. In ignavia tantum præsidium ista rerum cura allegatur, nisi dicere velimus, veteri egregios istos Viros, ne Bartolo tandem Baldoque elegantiores evadant. Sed quid ego de Latinæ eloquentiæ in-

scitiam multum conqueror, cum ipsius vernaculae linguae pau-
 lo ornatior usus apud Germanos haud raro exulet. Quo-
 tusquisque enim est, qui in juventute sua antiquorum Rhe-
 torum præcepta applicare sermoni patrio tenter, aut facere
 saltem, ut in eo intelligatur, queat? Vbi ergo postea in fo-
 rum devenitur, aliorumque desideria in judicio exponenda
 veniunt, oriuntur inde monstra constructionum, oriuntur pe-
 riodi adeò longè interdum productæ, ut divinare scopum
 ejusmodi oratoris judex habeat necesse. Haud parùm imò
 hæc ipsa obscuritas augendis protrahendisque litibus infer-
 vit, dum adeò concinnè plerumque contrahentium testantium
 que sensa in scriptura delineantur, ut viꝫ Germanos in ipsa Ger-
 mania agnoscas. Hinc ergo jam calumniandi ansam, hinc uber-
 rimam litigandi de verbis messem rabula nanciscuntur, Judice
 interim veluti inter sacrum & saxonum constituto, & non tam de
 jure, quam indagando ambiguorum verborum sensu sollicito.
 Longè majori adhuc labo Jurisprudentiam inficit susque de-
 que habitum à plurimis rerum moralium studiis. Plerique
 enim ubi Latinè loqui utcumque addidicerunt, ad JCTorum
 statim subsellia convolant cognoscendis Vlpiani Paulique
 decretis unicè intenti, spretis interim Creatoris O. M. Legibus,
 per congenitæ rationis lumen mortalibus insinuatis. Et hinc
 tamen Legum civilium norma derivanda, hinc genuina solidæ
 Jurisprudentiæ incunabula arcessenda, & hinc denique obven-
 ientium casuum discrimina repetenda forent. Transit inde
 hoc ipsum malum in tribunalia etiam, ubi non nisi Romanorum
 instituta crepantur, naturalis vero æquitas inulta velut
 obsolecit. Sed er ex hoc fonte illud fluit, ut si de obven-
 iente casu quodam sermo iniciatur, Legulista tales quadrata
 rotundis misceant, & deficiente forsitan expressâ Lege ad argu-
 menta aliarum provocent, adeò rei, de qua sermo est, ple-
 rumque convenientia, ut mirari fata sua ipsa lex videatur.
 Et si qui adhuc sunt, qui non omnem Philosophiæ mōralis
 amorem ejurarunt, ii tamen immensum disciplinæ illius cam-
 pum desultoriè plerumque pervagantur, rati unius alteriusve
 Systematis lectione magnos se JCTos evadere posse, cum in-
 terim de subsidiis & antiquorum Philosophorum monumentis
 sibi

sibi comparandis ne cogitent quidem. Promovent haud parūm errorem istum nonnulli ex iis, qui docendæ disciplinæ huic in Academiis sunt constituti, quiq[ue] s[ecundu]m non magis obeundo huic muneri apti sunt, quam asini pulsanda lyra. Si tamen vel paulisper isti ultra vulgus sapiunt, novum statim totius scientiæ Systema adornant, ingentis molis volumen contexunt, aliorum labores summa cum diligentia exscribunt, atque ita tandem, si Diis placet, alienæ purpuræ vilem assunt laciniam. Namque, si dicendum, quod res est, inter Systematicos istos Doctores (rari quippe boni) numero vix sunt totidem, quorū Thebarum porta vel divitis ostia Nili. *Historiarum* quoque porrò *notitia* adeò hodie non attenditur, ut nec illi lese pro Historicis venditare erubescant, qui multorum seculorum errores eò minore eruditionis suæ jaçutare comittunt, quō magis alios later à doctis istis Vitis peccatum fuisse. Et siquid deinde ex his aliorum forte JCTorum, Historicā notitiā instructorum, labores evolvunt, adeò egregiam rerum seriem animo inde concipiunt, ut plurimorum seculorum diversas periodos compingant in unum, vix Augusti Carolique M. tempora secernentes. Ilí ipsi imò, qui in emeriendo Historiarum pelago ardorem aliquem ostentant, gravissimos hac in re errores non effugunt. Alii enim limpidos coævorum monumentorum fontes prætereunte ex sorididis lacunis Historicam haurire notitiam conantur: alii verò anilibus commentis aut rarioribus forsan rerum eventibus unicè immorantes, quæ pragmaticam Historiam absolvunt, nihil quidem curant. Verbis satis exprimi nequit, *Audatores*, quantis difficultatibus hic ipse defectus genuinam juris scientiam involvat. Est enim profecto in confessu apud cordatores quosvis, maximum lumen singulis Juris paribus per Historiam affundi. Quis enim vel exiguos sperare in Jure Publico profectus poterit, nisi varia Reipublicæ Germanicæ fata, nisi occasionem latarum in Imperio Legum fundamentalium, & nisi controversias Imperatori cum Statibus intercedentes, horumque mutuas inter se lites probè habeat cognitas? Quis ritari cum fructu Feudalia Jura poterit, nisi veterum in Germania vigentium juriū consuetudinumque

K 3 haud

haud omnino rudis? Quis aspirare ad aliquam in Jure Canonicō eruditōnem audebit, nīsi diversas potentiaē Papalis periodos, scopum Curiæ Romanæ vetustiorumque Conciliorum Canones & Decreta haud ignoret? Et quis denique absque impudentia non levis notā ultra Legulistas se sapere afferet, si non privatos Quirium mores, rationes latarum Legum ci-vilium, atque conditōnem temporum istorum, ad quæ cū-jusvis Legis origo referenda est, ex veris Historiæ Romanæ monumentis eruere annis est? Vt de eo jam nihil dicamus, ex comparatione receptorum apud alias gentes institutorum, unde sua interdum depromiserunt Romani, omnium optimè robur Legum, vim atque efficaciam colligi, simulque funda-menta legislatoriæ prudentiaē addisci, quæ certissima est JCri cynosura. Horum scilicet omnium ignorāntia, quò minus Juris Romani analogia explanaretur, præcipue obstitit; quæ tamen profecto aditum ad indagandum legum ci-vilium sen-sum sternit, quæ faciliorem reddit generalium Juris funda-mentorū ad hypothēsin applicationem, & cujus demum ope extricare se ex innumeris labyrinthi hujus ambagibus an-fractibusque veluti per Ariadneum filum sacris Astrææ ini-tiatus alumnus haud difficili adeò negotio potest. Jam ve-rò si, omīssis hisce sēvioris studii necessariis præparamentis, ipsi Jurisprudentiæ accedamus propius, non minores & ibi errores sese exferent. Cùm enim adeò enormis sit hujus sci-entia amplitudo, ut percurri singulæ ejus partes non nisi su-perficiariè ab uno homine possint, haud parum incrementa studiorum promoverentur, si augmentis scientiarum invigilan-tes Musarum Patroni cuivis in tenerâ statim etate pro indeole ingenii ipsius scopum studiorum suorum p̄fūnirent, quò in ali-quo saltē excellere ii queant, qui in omnibus nequeunt. Nunc verò tantum abest, unum huic, alii excolendo juri ali-um destinari, ut potius ne illud quidem attendatur, forone quis magis, an aulis, an cathedræ exornandæ sit idoneus? Longè sagacius hac in re institutum Turcæ se fiantur, qui cu-jusque genium in primâ statim infantia non juxta liberales mo-dò, sed & mechanicas artes metiuntur. Objici quidem huic consilio aliás solet, adeò connexas inter se esse singulas Ju-ris-

risprudentia partes, ut divelli à se nulla ratione queant. Verum ut facile largimur, neminem unum solidam eruditio-
nam in unâ parte adepturum, nisi et in reliquis haud omni-
no hospes sit; ita non iverit temere inficias quisquam, ex-
atissimam omnium juriū notitiam non desiderari in eo, qui
splendorem unius adaugere gefsit. Quamvis autem tanta sit
studii Juris amplitudo, adeo tamen illa plerosque latet, ut
includere eam unius alteriusve Systematis aut Institutionum
etiam finibus nulli vereantur. Harum enim lectione ubi se-
mel defuncti sunt, jam se magnos JCtos, jam genuinos The-
midis Myſtas, jam Statores se boni publici ferunt, haud be-
ne gnari, primum inficitæ stoliditatisque indicium esse de erudi-
tione sua magnifice sentire. Atque ex hac ipsa perverfa opini-
one ingens illud malum promanavit, quod equo sapienti
veredario percurratur immensus jurisprudentia campus. Quin-
quennium Juris Studiosis Justinianus assignavit, sed iis toti-
dem sapienti menses sufficiunt; & Justiniani tamen temporibus
intra angustiores adhuc terminos Jurisprudentia stetit.
Ceterum insigniter itidem studii hujus incrementis obstat *vul-
gare illud Germanis in primis, scribendi oacōrbes.* Adeò enim
plerorumque mentes ista in innoxiam chartam tyrannis inva-
sit, ut ne plagii quidem notam ii exhorrefcant, qui inditæ
alienis scriptis novâ Compendii alicujus, Enchiridi, Synoplos
aut Tabellarum facie vindicare sibi non erubescunt. Tanta
ergo inde auctorum tum in privato tum publico jure moles
existit, ut solus eorum aspectus terrorem nauseamque apud
præparatum etiam ad asinoram patientiam animum procreare
aptus sit. Solus certè commentariorum ad Institutiones numerus
in tantum jam excrevit, ut onerari iis facile magna plaistro-
rum multitudo possit: & ex Justiniani tamen mente non nisi
Paratilis prima illa Juris elementa illustranda fuissent.
Imò èd jam infatibilis scribendi pruritus devenit, ut non
fontes modo Jurisprudentia, sed & privatorum Doctorum
scripta notis, animadversionibus, commentariis, versionibusque
obscurentur potius, quam illustrentur. Neque aliud tam hor-
rendæ librorum farraginis fructus appetet, quam ut quis
post exhaustum immensem adeò laborem paulò confusorem,
quam

quam antea haberat, Juris notitiam adipiscatur. Non defunt profecto exempla eorum, qui genuinis solidæ eruditio-
nis fundamentis destituti, solaque copiosâ librorum lectione
ad hanc grassantes stupidiore hoc ipso evaserunt. Quodsi
vero nunc etiam singulas Jurisprudentiae partes pervagabimur,
crassissimos in quovis genere errores deprehendemus. *Juris
Publici notitia non nisi ex Systematibus hodie peti solet*, quibus
infarcta magnâ copiâ conspiciuntur, quæ ad rem nihil faci-
unt. Dum enim huc omnia ea colliguntur, quæ lecta un-
quam aut audita fuerunt, dum Romanorum instituta obtor-
to collo diversæ Reipublicæ Genio applicantur, & dum de-
nique exterior ad summum Imperii Germanici facies delineat-
tur, Genius nationis Germanicæ, interior Reipublicæ illorum
conditio, mutui Statuum inter se cum exteris respectus, Ge-
nealogiae Principum & prætensionum fundamenta siccō trans-
euntur pede. Atque dum fere omnes de definitione Juris
Publici, de divisionibus ejus deque harum subdivisionibus sunt
solliciti, veram ejus naturam nemo indagat, nec cuiquam cur-
æ est, ut monumenta & acta Historia Germanica evolvat:
quasi necessaria magis res esset, legisne an pacti nomine ve-
nire debeat Capitulatio nosse, quam quæ in eadem faniuntur.
Imò eò infanæ haud pauci prolabuntur, ut unicè co-
gnoscendis librorum editionibus, externæ illorum formæ,
& auctorum nominibus immorentur: id quod polymathiam
illi vocant, qui necdum exiguum alicujus scientiæ partem sunt
adepti. Quemadmodum videmus, multos omnes omnium in
Instrumentum Pacis editas animadversiones ad unguem reci-
tare, Historiam vero confectæ pacis Westphalicæ, quæ pri-
mum sanè ad rimandum ejus sensum adiutum sternit, juxta
cum ignarissimis scire. Circa feudalia quoque Jura omnes
quidem in tradendâ feudi definitione, in recensendis, quæ
quacunque ratione ex jure Romano huc trahi possunt, in
commemorandis investiturarum solennibus, & in cognoscendis
bárbararum vocum etymologiis occupati sunt; sed in eruen-
dâ primævâ feudorum naturâ, in indagandâ introductorum
occasione & in recensendis earum gentium, apud quas ea usi-
tata, moribus vix unus & alter. Eadem fere in Canonista-
rum,

rum, ut vulgo vocantur, libris observare licet, qui effigiis animalibus ex cerebro questionibus, qui excogitatis ridiculis decidendi rationibus, quique prolixa sensu mystici plurimarum solennitatum explicatione omnino scatent; de primitivæ verò Ecclesiæ moribus, ritibus & consuetudinibus, de veterum recentiorumq; Conciliorum Historiâ, de praxi Ecclesiæ quovis tempore usitatâ, de Pontificum ratione Status, deque incrementis & decrementis potentiae Papalis omnino silent. Non minores tandem defectus circa civilium quoque Legum scientiam sele exserunt, qui splendori hujus disciplinae haud exiguae remoram injecerunt. Quas enim non hic Legulista de serie & ordine titulorum, de punctulis & terminis, de latitantibus provenientium ex cerebro Doctorum divisionum in Jure incunabulis, nugas, commenta, quisquiliis comminiscuntur? Quam non sunt illi in coacervanda consentientium Legum Doctorumque farragine diffusi: in conciliandis obstantibus Legibus scrupulosi? in excogitandis variarum decisionum rationibus subtile? in enarrandis vocum Synonymis, cuivis sanâ ratione non destituto manifestis, prolix? & in demonstrandâ ubi vis institutorum Romanorum excellentiâ magnifici præcones & cum tamen vino vendibili non opus foret suspensâ hederâ. Et si penitus plerumque controversiarum inter JCtos vi gentium conditionem perpendierimus, manifestò elucesceret, vel in λογουαρίῳ tandem rem abire, vel sine ullo in praxia inde redundante fructu eas disceptari. Quæque tanto animorum moru agitabantur lites, ut advocandus ex machinâ DEus videretur, distinctione denique inter quantitatem & quantum, inter actionem nativam & dativam, utilemve & directam, inter naturam & substantiam exploduntur. Ut de eo jam nihil dicamus, multos diu in eo desudasse, ut omnium Legum in Pandectis & Codice comprehensarum numerum, variarum Juris partium varias editiones, divisionem Digestorum, nominisque rationem, tum definitionem, finem, objecrum subiectumque Jurisprudentiæ juxta unius Doctoris methodum in spem futuræ oblivionis addiscant. Præterea & illud incrementis Jurisprudentiæ haud parum hodie obstar, quod, quò laboriosa magis, cò minus lucrosa ea sit, cum absque

L

ejus

eius aut alterius scientia administriculis alii ad summas dignitates opesque emerserint, & ii vicissim, qui illam non neglexerunt, post magnam patrimonii sui partem consumtam negligi se videant, donec forsitan aliquale ipsis stipendum stipis instar conferatur, in expirantibus Jurisprudentiae honorem auctoritatem. Provenit hoc sapientia inde, quod, qui fortuna eiusque inter homines arbitri sunt, liberis dedecori esse existimant, si alii quam Juris studio eos addicant: hi enim postea reliquis jure sanguinis præstantiores habentur. Habebant se longè secus hæc apud Romanos, quorum foro nil erat divitius, ut *Martialis* cecinit. Et si vel fugitivis oculis fata eorum Jutorum, è quorum fragmentis Pandectæ consarcinatae sunt, perlustrabimus, jam apparebit, quantum eo tempore Jurisprudentia cœlestis vis in ambiendis honoribus valuerit.

Vidimus haec tenus, *Auditores*, ex hominum vicio promanantes corruptæ Jurisprudentiae causas, progreendiendum nunc nobis ad eas est, que ex ipsa disciplinae hujus constitutione hodiernaque facie descendunt. Commemorari inter istas primo utique loco meretur *immensa diversorum iurium varietas atque amplitudo*, cum preter congenitas hominibus promulgatasque à sanctissimo Numine Leges, diffissimæ Romanarum Legum farrago, horridam barbariem spirantia Germanorum instituta patria, Feudales Consuetudines, Pontificum Decreta & sanctiones Imperii pragmaticæ evolvende Juris Studio so sint. Eò majoribus sane difficultatibus scientiam Juris hæc ipsa iurium diversitas involvit, quod minus hic doctrinæ plerique confusionem aliquam effugere potuerunt. Rursus singulæ haec Jurisprudentiae species adeò latè patent, quam latè patet totius Jurisprudentiae campus, & obvenientium in eo casuum infinita discrimina. Ipsum quidem primò *Publicum Jus* que non ambitu suo complectitur? cum hinc laxa ista Républicæ Germanicæ compages, prolixa Comitorum facies, separata Imperatoris singulorumque Statuum jura; illinc ipsis Imperii vires, potentia ejus incrementa decrementaque, diversissimæ Statutis publici periodi, vigentes inter caput & membra mutuaque horum lites atque horum omnium fundamenta addiscenda, perpendenda, & ex-

in-

insulis antiquæ Historia Germanicæ monumentis eruenda veniant. Nec hoc satis, sed & tum totius Imperii, tum fulgentium insigniore quadam potentia in eo civium erga exteros respectus & consiliorum momenta ponderanda, multumque imò temporis consumendum est in Philosophie ceremonialis, uti vocant, vanitate cognoscenda. Hanc enim qui ignorat, vix prima praeceos Juris Publici rudimenta delibasse censendus est, cum in aulis, in Comitiis, inque aliis Conventibus utramque illa paginam faciat, magno saepe cum publicæ salutis detimento. Quantis verò hæc omnia tricis sint referra, vel inde colligere facili negotio licet, quod ex antiquis JCtis in solâ Superioritatis territorialis naturâ indagandâ ferè omnes desudarint, profecerint verò pauci: cum hinc quædam ab Imperatore & Imperio dependentia, illinc sumnum in eos, qui de territorio sunt, Imperium mentes illorum ideis Magistratum Romanorum refertas turbaret. Quodsi verò istis jam temporibus tantis difficultatibus obnoxium fuit Juris Publici studium, quid dicemus de nostris? in quibus diffusius adhuc disciplinæ hujus amplitudo se extendit, & extendet in posterum quoque. Crescent nimurum quotidie inter Imperatorem & Status, rursusque inter hos invicem, ut inter suspectos suspectantesque, & mulationes, ex & mulationibus odia, ex odiis lites tantâ multitudine, ut ex sopitâ unâ sexcentâ ferè aliae propullent, vixque Hercules hydrae huic Lernææ debellandæ sufficere videatur. Accedit, quod qui purgandis sentibus intenti sunt Doctores, studio partium maximam partem abrepti in diversissima abeant, prout aliquem vel spes vel metus vel affectus causæ alicui mancipavit. Ipsa agitatarum controversiarum acta solâ mole suâ tædium naufragiumque procreant, cum circa unicam saepius plurima enormis magnitudinis volumina conscribuntur: in quibus deinde multa coacervantur in unum rem non magis tangentia, quam si quis noscat, num ex Salomonis Regis languine Abyssinorum Rex originem suam derivet. Equidem per Instrumentum Pacis Westphalicæ multa Statuum jura collocata in turum plurimaque disceptationes sublatæ fuerunt, simul tamen alia ex arcane forsan confidentium pacem istam consilio adeò subobscurè posita inveniuntur, ut mirum non sit, in locum veterum ista-

rum controversiarum novam eandemque uberiorem lictum messem successisse. Neque valida contra hæc mala subsidia Leges publicæ subministrant, quarum vulgaris collectio adèò hiatibus lacunisque scatet, adèò passim mendis referta est, ut diversus à genuino scopo illarum sensus non possit non inde elici. Insuper haud parum Juris Publici nitorem obfuscatur Historiæ Germanicae defectus, dum qui vetustiora Imperii tempora consignanda sibi sumserunt scriptores adèò, quæ ad Historiam pragmaticam pertinent, neglexerunt, ut margaritam ex stercore eruere habeat necesse, qui ultra inania commenta ex lectione illorum proficere gestit. Et hinc tamen consuetudinum juriumque vetustiorum origo, hinc plurimorum institutorum natales, hinc multarum prætensionum fundamenta desumenda sunt. Cumque defectus hic insigniter interdum suppleri ex publicis documentis archivisque posset, invidiâ tamen vel insciâ eorum, qui chartophylaciis istis præsunt, fieri nonnunquam videmus, ut nec ea eruditis communicentur, quæ præjudicium creare possunt nemini. Jam verò quām diffusâ scientiâ instrūtum esse illum oportet, qui vigentes inter liberas gentes controversies cognoscere laborat. Consulendi nimarum sunt omnium gentium Annales, cognoscendus plurimarum Rerumpublicarum Status publicus, eruenda è spississimis tenebris familiarum illustrium genealogia, & secernenda denique acerimo iudicio à genuinis Juris fontibus nequitæ schemata fraudisque integrumenta. Sed & circa ipsam facti notitiam accuratè pendendum, à quonam & quā fide illud referatur, cum pro patria mentiri multis pietatis pars habeatur. Tum verò circa indagandam bellorum justitiam summâ curâ bellici juris rigor à naturalis æquitatis humanitate, ipsius belli justitia à modo bellicum gerendi secernenda, scopusq; armorum exactâ mensurandus trutinâ. Non magnopere de his multi solent esse solliciti, quod sublimius nonnullis videatur civilia jura nosse. Quafi verò majus opera precium foret in avertuncandis privatrum domorum stlicidiiis esse occupatum, quām in fulciendis regalium palaciorum ruinis. Minores quidem circa fidelia jura difficultates occurunt, sed occurunt tamen insignes.

De

De eo enim adhuc sub judice lis est , num Alemannicum Saxonumque Jus consuetudinibus Longobardicis prævaleat , an hæ illis ? Factum inde est , ut cum aliis patria in judicando , alii peregrina jura præferrent , confusum tandem chaos oriretut , magno incertitudinis ipsius juris argumento . Notoriâ namque experientiâ edocemur , in quibusdam jura ista provincialia adeò in considerationem non venisse , ut quoad feuda etiam iis Romanorum instituta præponderarent . Quis enim non irridebitur , si constitutum e. g. pubertatis minorenitatisque in illis terminum attendere velit . Et contrarium tamen circa hæc in Longobardico jure dispositum non invenitur . Ergo non scripta modò jura addiscenda , sed cognoscendus præterea usus fori , sed consulenda specialia cujusque loci statuta , sed habenda aliqua ratio erit contrarium sibi invicem dissentientiumque Doctorum auctoritatum . Cumque & sic tamen omnis efficacia juribus Germanorum propriis non denegetur , nova ferè lingua ediscenda ei est , qui rimari accuratius sensum illorum cupit . Accedimus tertio jam loco ad *Jus Canonicum* , quod solo aspectu suo terret , tantæ quippe molis , ut lacertorum perinde ac ingenii viribus opus sit ad volumina illa terenda . Neque tamen illud intra vulgaris compilationis limites subsistit : addenda enim huic subsequentium Pontificum Bullæ , Concilii Tridentini Canones , & nonnunquam etiam Rota Romanae Decisiones : quæ omnia si adjunxeris , excresceret illud tandem in opus planè desperatum & intractabile . Atque ubi forsitan tædioso adeò labore defungi datur , non minus quis (de Protestantibus loquor) in cognoscendo hujus Juris usu occupatus erit . Cum enim id non nisi ex spontaneo motu apud Protestantes , Pontificis imperium dominatumque aversantes , receptum sit , in proposito est novâ scientiâ opus esse , ut quis cognoseat , quidnam exinde receptum in foro sit , & quæ vicissim in defuerundinem abierint . Quam notitiam ubi demum sibi comparavit , tristissimâ experientiâ edocebitur , exiguum omnino esse impensæ maximæ diligentiae mercedem . Nam si processum , uti vocant , judicarium ex Glossis Juris Cæsarei defumum & scrupulosâ hinc inde subtilitate scatentem demas , paucissimæ

supererunt materiae, in quibus vel additum quicquam Juri
 civili, vel scita ejus mutata in melius fuerunt. Imò post tan-
 tas rursus ambages superatas, novum iterum juris circa Ec-
 clesiastica occupati Systema fese exhibebit, quod Ecclesiasti-
 cum vulgo vocant. Id verò cùm in peculiare volumen, ge-
 nerali consuetudine approbatum, collectum à nemine sit,
 partim ex primitivæ Ecclesiæ ritibus, partim ex singulo-
 rum locorum Statutis reperendum erit, adeò plerunque
 inter se discrepantibus, ut pro uno Jure centum obrudan-
 tur. Sed et annotare præterea magnos magno numero næ-
 vos in singulis Juris Canonici partibus licet. Taceo necessa-
 riam illam Juris Pontificii & per singula ejus capita se diffun-
 dentem labem, deprædicatam scilicet, roboratam, extensam
 potentiam Papalem eā ratione, ut cordatoribus nonnunquam
 risus, naufragia nonnunquam & indignatio moveatur: & ex hoc
 tamen fonte si universum Jus Canonicum promanaſſe dicemus,
 à scopo non aberraverimus. Atque Gratiani sancè Decretum,
 quantum quantum est, detorris sacrae Scripturæ textibus,
 depravatis sanctorum Patrum locis, corruptis vetustiorum
 Conciliorum Canonibus, suppositiis primorum Paparum san-
 ctionibus epistolisq; & Cæfareis Constitutionibus juxta Brevia-
 rium Aniani mendosis est refertum. Decretales verò, præter-
 quam quòd ex æmulatione potestatis Imperatoriaæ potissimum
 profluxerunt, exactiore & ipsi lima passim indigent. Gloriatur
 Gregorius IX. qui primus tum sua tum antecessorum Rescri-
 pta ope Raymundi publica auctoritate collegit, studiosè se in
 hac compilatione id egisse, ut prolixitatem confusionemque
 evitaret, reſecaretque ubivis superflua. Sed quid dignum
 tanto feret hic promissor hiatus? Conqueruntur sæpius Inter-
 pretes reſecta à Pontifice utilia fuisse, inserta superflua, ver-
 baque adeò obscura adhibita, ut nisi ad antiquas collectiones
 recurritur, commodus inde sensus erui nequeat. Sed & tum
 in hac ipsa Gregorii collectione, tum in subsecutorum etiam
 Pontificum compilationibus, præter ambitiosum fastumque
 magnopere redolentem stilum, cernere quām plurima li-
 cit, multum non modò à primitivæ Ecclesiæ, sed ab eā quo-
 que disciplinâ degenerantia, quæ Gratiani decreto contine-
 tur.

tur. Confessi hoc ipsum sunt ex Pontificiis cordatiiores qui-
que, adeo ut in proverbium apud illos abierit, male cum re-
bus actum fuisse, ex quo Decretis aliae accesserunt. Verum
veratum jam eò vela, unde maximum in scientiam, de qua
nobis sermo est, damnum redundant, *ius* nimurum *Civile*, cu-
jus nœvi eò magis incrementa Jurisprudentiae hucusque re-
tardarunt, quod minus perspecti illi à plerisque fuerunt, &
quod magis præ ceteris huic unicè juri operam impenderunt
ferè omnes. Et sancè vel tetigisse saltem hoc ulcus piaculum
interpretabuntur ii, qui cœco Justiniani Jurisque Justinianei
amore flagrantibus hujus notitiam ultra reliquas scientias omnes
collocant, totius Jurisprudentiae ambitum juxta idem metientes.
Neque vero ego, *Auditores*, Romanae legumlationi in-
esse plurima singularis omnino prudentiae specimen diffiteor:
non repugno etiam iis, qui naturalis æquitatis semina eâ co-
piâ per Pandectas inprimis sparsa contendunt, ut naturalis
juris cognitioni maximum inde lumen affundi posse haud in-
epit autem. Verum Legulistas istos minimè ferendos cen-
feo, qui impietatem, pestem, hæresin & nihil ferè non expro-
brant iis, qui mordicus inhärere Romanorum unicè institu-
tis cum politioribus JCris recusant. Id enim homines inten-
dunt, ut quod ipsi non perspiciunt, celent alios & larvatam eru-
ditionis alicuius famam ex ignorantia societate querant. Ve-
neror & ipse Justiniani Manes, sed non adoro; non denego
Legislationis Romanae auctoribus debitam meritis ipsorum lau-
dem, sed ceu ab hominibus humani nihil ab illis alienum puto.
Eorum enim perversa opinio, ut ingenuè fatear, nunquam mihi arrisit, qui siquos tandem Juris Justinianei nœvos agnove-
runt, obtregendos eos satius duxerunt, quam ut omnium oculi exponantur, præsertim ab iis, qui studio illius Juris sepe
addixerunt. Nihil potius magis obesse ipsius Jurisprudentiae
Romanae incrementis certo certius est, quam quod sollicitè adeo
excusentur, quæ defendi nulla ratione queunt. Sed videamus
jam specialius istos defectus, quibus Justinianea Juris
compilatio laborat. Ipsa quidem primò moles ejus adeo enor-
mis est, ut æquare eam unius hominis artas vix ac ne vix qui-
dem possit: & unanimi tamen omnium Politicorum effato
per-

perverissimæ Reipublicæ certissimum indicium habentur plurimæ Leges. Cumque non nisi fons privatæ Jurisprudentiæ in collectione istâ contineatur, quis promanantem inde immensum Systematum, Commentariorum, Consiliorum Decisionumque Oceanum emetietur, cum ne fontem quidem perscrutari accuratius plerisque datum sit? Quotusquisque enim ex iis ipsis est, qui non superficiariâ Juris civilis notitia imbutus creditur, qui singulas Romanæ legislationis partes à capite, utrū ajunt, ad calcem evolverit? quamvis singulæ Leges ita rursus comparatae sint, ut hard vulgaris labor merito censeatur occurrentes circa unamquamque controversias paulò exactius perpendisse. Tristissimâ sanè experientiâ quotidie edocemur ex infinitâ istâ Legum farragine infinitam litium copiam propullolasse, cum in tantâ multitudine fieri aliter non possit, quin nonnulla sibi contrariantur, aut contrariari saltem videantur: ut proinde in proclivi rabulis sit, fucum ita judici facere. Jam verò, si qua nulli hodie in foro usui inserviunt, resecemus, quam exigua corporis Juris portio salva supererit & illibata? Quot enim non passim antiqui juris vestigia, quot diversa legislationis Romanæ periodi sese exserunt? Quot abrogatae Leges abrogantiumque Legum abrogationes novæ, harumque iterum correctiones in singulis ferè argumentis occurruunt? & quam paucæ denique ex Imperatorum, Justiniani præcipue, Constitutionibus brevitate se commendant? Vniverſa in d. servitutum materia, quæ dimidiā ferè Juris Romani partem absolvit, ab usu hodie recessit. Neque enim incongrua illa, quam cuncti crepan, servorum cum hominibus propriis analogia tanti est, ut ob id tot fastidia devorate opera precium sit. Sed & særissime post consumptum haud vulgarem in institutis Quiritum cognoscendis laborem tristis demum illa Doctorum vox occinitur: Hujus rei usus hodie est nullus. Sola ergo Historica Juris notitia adeò multum negotii Themidis alumno facit, ut vix progredi ille ulterius ad interiora Jurisprudentiæ adyta queat. Neque verò Legum Romanarum notitiâ studium Juris Civilis terminatur, sed alia adhuc apud Germanos eademque non minor moles exsurgit. Vbi enim de obveniente casu sermo est,

est, ante omnia cujusque loci statuta inspicienda veniunt, inde ad consuetudines torius provinciae deveniendum, tum ad jura per universum Imperium vigentia recurrentum, & in horum denique omnium subsidium confugiendum ad Jus Romanum. Ita post multas demum ambages ad id devenitur, cui cognoscendo in Scholis inque Academias immorari unicè habemus necesse; cum vel illud satis deplorari nequeat, quod post insumtum asinini ferè laborem de navatae operæ usū adhuc solliciti esse cogamur. Atque ne ulla hic difficultas non occurrat, in numerum patriorum institutorum alii Saxonicum præterea Alemannicumque Jus provinciale intrudunt, complendo circulo augendaeque confusione. Quām insigne enim hoc ipsum est incertitudinis juris nostri documentum, quod de plurimorum jurium valore adhuc sub judice lis sit? & quām non vacillare obvenientium casuum decisiones est necesse, cùm de eo etiamnum digladientur inter se Doctores, ex quibus fontibus decisiones illæ petendæ veniant? Non enim in scholis tantum & inter privata JCtorum pulpita hæc labes subsistit, sed in forum quoque transit, ubi magno animorum motu litigantiumque contentione de abrogatione hujus illiusve Legis ventilari integros nonnunquam processus videamus. His accedit, quod licet, uti vidimus, cujusque fori statuta præjudiciaque perpendenda ante omnia sint, illa tamen arcano nonnunquam consilio suppressantur, ut vix inspiciendi eadem facultas superfit. Insuper tantum illa inter se distant, quantum æra lupinis, & singula tamen aliquando manus, plerumque non minus, quam ipsum Civilis Juris corpus, volumen conficiunt. Vbi ergo ex unâ provinciâ in aliam evocatur JCtus, nova illi studiorum ferè tela exordienda, & nova quasi Juris rudimenta addiscenda veniunt. Sed redeamus, unde digressi paulisper sumus, ad Jus Romanum, cum quæ modo memoravimus, incommoda Germanos potissimum tangant. In se quidem illa urbana respondendi, scribendi, cavendique militia plena est sollicitudinis, plena stomachi; dum perperi multorum stultitiam, perferrere arrogantiam, exforbare difficultatem, vivere ad aliorum arbitrium, non suum, ii cogantur, quibus verfar in foro animus est. Sed longè

M

majo-

majora adhuc fastidia, longè plus satietatis facris Astreæ initiatis alumnis creat inanis illa & in singulis prope literis atq; interpu-
tionibus verborum occupata ahs formularia, quâ instituta Quiri-
tum penitus olim scatebant. Hac namq; ratione fiebat, ut verbo-
rum tantum inania captarentur, vis & robur Legum scopusq; in-
ter postrema referrentur. Ita quoq; fiebat, ut cum æquitatis saepius apicum istorum neglectum ingereret, imaginariae potius emtio-
nes, profectiones donationesque effingerentur, quam ut unica literula de rigore juris istius formularii remitteretur. Percur-
rantur modò mancipacionum, connubiorum, processus judiciarii adhucdum in Legibus occurrentia vestigia, & manife-
stum fiet, pleraque horum prudentiæ inanissima, fraudis au-
tem & stultitiae plenissima esse. Vnico rei vindicationis apud veteres Romanos usitatæ exemplo rem hanc illustrabimus.
Post finitum vindiciarum judicium, quo de possessione rei dis-
ceptabatur, ab initio quidem cum angustis finibus urbs Ro-
ma gauderet, exortâ de proprietate alicujus rei lite, in ipsam rem præsentem proficisciabantur Prætores, quod in jure ma-
num confere vocabant. Propagatis vero ulterius finibus,
litigantes non amplius in jure manum conferebant, sed ex ju-
re in rem præsentem unus alterum vocabat, ita ut delata de-
inde ad Prætorem agri v. g. alicujus glebâ vindicatio perage-
retur. Postea & hic mos in desuetudinem abiit, inque locum ejus à JCtis imaginaria aliquia Prætoris litigantiumque in rem litigiosam profectio fui surrogata. Describit eam adeò ege-
giè Cicero pro Murana, c. 12. ut temperare nobis ne queamus,
quod minus verbis ejus formularium illud carmen recitemus.
Cum hoc fieri bellissimè posset: (ita ille) Fundus Sabinus meus
est; immò meus: deinde judicium, noluerunt. Fundus, in-
quit, qui est in agro, qui Sabinus vocatur. Satis verbo-
se. cedo quid postea? Eum ego ex jure meum esse ajo. Quid
tum? Inde ego te ex jure manu consertum voco. Quid huic tam loquaciter litigioso responderet ille, unde petebatur, non ha-
bebat. Transitidem qCtu tibicinis Latini modo: Vnde tu me,
inquit, ex jure manu consertum vocasti, inde ibi ego te
revoco. Prætor interea, ne pulchrum se ac beatum putaret,
atque

atque aliquid ipse sua ffonte loqueretur, ei quoque carmen compositum est, cùm ceteris rebus absurdum, tum verò nullo usu, utrisque superstibibus presentibus iſlam viam dico: ite viam. Præſo aderat sapiens ille, qui ire viam doceret: Redite viam, eodem duce redibant. Hæc jam tum apud illos barbatos ridicula, credo, videbantur: homines, cum rectè atque in loco constitissent, juberi abire, ut unde abiſſent, eodem statim redirent. Quælo Vos, Auditores, num excogitari quicquam magis puerile potest, quām tanto verborum apparatu id agere, ut nihil agas. Subest tamen hic arcanum quoddam Politicum stabiliendæ auctoritati augendoque quæſtui excogitatum ab iis, qui Jurisperitiam eo tempore Romæ profitebantur, quo Legum multitudine Respublica illa nondum laborabat. Posse ferme lege agi necne? pauci quondam ſciebant, Falsis nempe deſtituti. Erant ergo in magna potentia qui conſulebantur, à quibus etiam dies tanquam à Chaldæis petebantur. Inventus inde eſt ſcriba quidam Appii Cn. Flavius, qui evulgatis mysteriis iſtis id effecit, ut quod inerat antea huic ſtudio admirationis, contemneretur abjicereturque. JCri itaque ne pervulgatâ dierum ratione absque ſuā operâ lege poſſet agi, formulas has compoſtuerunt, quo cunctis ipſi rebus intereffent. Hæc dum erant occulta, neceſſario ab iis, qui ea tenebant, petebantur, ſed emanantia inde in vulgus inanifima ſolidæ prudenter & aequitatisque reperta ſunt. Sed cùm ſub Imperatoribus poſtea in eam molem Jus Romanum excreceret, ut hominum istorum operâ etiam citra hæc adminicula carere non liceret, exploſa plurima ex inani hac verborum ſolennitate fuerunt, ut ea tamen remanerent, quæ libertati Quiritum amplificandoque civitatis Romanae precio inservire credebantur. Rurſus ſubſequentibus temporibus horum etiam nonnulla abolita, ſed ut antiquioris juris vſtigia in Justinianæ compilatione paſſim remanerent, neceſſitasque hoc ipſo Juris Studioſis afferretur ridiculis hiſce ambagibus immorandi, quod congruum ex plurimis Legibus ſenſum elicere poſſent. Nec recepto à Germanis in patriorum ſubſidium institutorum Jure Justiniano remedium huic malo adhibitus fuit, quamvis veteres Germani controversies suas ex aequo & bono dirimere ſolerent.

Imò potius subtilitatibus Juris Romani subtilitates Juris Pontificii superadditæ fuerunt, quibus ipsum hodie forum perstrepare quotidiana experientia comprobat. Ceterum non universa modò Jurisprudentia Romana nœvis suis laborat, sed singulas etiam ejus partes labes aliqua inficit. *Institutiones* ipse Justinianus definit, quod sint totius legitimæ scientiæ elementa. Delineanda proinde in iis singulorum Juris argumentorum prima rudimenta fuissent, idque succinctè striximus, omisimus iis, quæ usū destituuntur. Sed quam parum hunc, quem intenderat, scopum Imperator sit affecitus, fateri quilibet mecum habebit necesse, cui non præjudiciis & amore Juris Romani occæcata mens est. Insigniores enim Juris materiae de Jurisdictione, de Transactionibus, de Obligationibus in genere, de Dotibus siccō prorsus in iis pede transeuntur: aliae vicissim adeò diffusè enarrantur, ut non possit non ipsâ copiâ tironis animus obrui. Fieri hinc videmus, ut partim prolixis illis juris veteris commemorationibus fastidium in novitio Themidis alumno exciterit, aut confusa saltem scientia quædam alatur: partim vero, ubi ad latiora Digestorum volumina devenitur, veluti delaplus de cœlo attonitus is hæreat, aut quasi in peregrinum delatus solum ad intuitum novarum rerum obstupescat. Atque sic tamen in proverbium vulgo abiit, bonum Institutistam, ut cum barbaris barbarè loquar, esse bonum Juristam; quasi carere JCrus illorum argumentorum scientiâ posset, quæ neglecta à Justiniano præterita que fuerunt. Conati quidem aliqui sunt supplere defectum huncce accuratiore methodo conscriptis Jurisprudentiæ elementis; sed cum hæc publica auctoritate destituantur, Catone illo contentos nos esse oportebit. Jam ante Institutiones de *Pandectis* consarcinandis sollicitus fuerat Justinianus: cum enim commentarios veterum JCrorum ad duo millia excrevisse cerneret, consilium cepit responsa illorum atque sententias meliores & ad fori usum aptiores, exque innumeris illis commentariis selectas sub Pandectarum seu Digestorum nomine exhibere. Et promeruisse utique haec operâ haud exiguum laudem Imperator, si immensam illam librorum farinam eo modo redigere in minorem molem allaborasset, quo ma-

maximè conveniebat. Cùm enim scopus ejus esset, centones ex JCtorum voluminibus Pandectis suis inserere, adeoq; non nisi vetus jus in iisdem sistere lectori; sèpius tamen Tribonianī manu interpolata verba illorum, ex quorum fragmentis opus constat, deprehendere licet: quod molli Emblematum Tribonianī nomine vulgò JCri indigitant. Reddit hæc res difficiliorem Legum sensum, simulque inservit augendæ confusio- ni Juris antiqui cum recentiore. Sed & cùm ii ipsi Aucto- res, è quorum scriptis Digesta compilata fuerunt, in diversissimis dispersi essent Sectas, exiguis quidem ab initio discordia principiis, sed diffundente se postea latissimè sub disci- pulis ex contradicendi studio divorcio, non adeò cautus Tri- bonianus fuit, ut non subindi contrarietatis hujus vestigia in suum opus admitteret: cui universo tamen legis auctoritas conciliata fuit. Non desunt quidem, qui omnes omnino antinomias abesse à Jure Romano contendunt, sed ii Alexandri sèpius gladio nodum Gordium rumpunt, aut sibimetipsis in conciliation Legum parùm satisfaciunt, aliquid dicentes, ne nihil dixisse videantur. Porro cum non nisi ex innumeris centonibus Digesta constent, illud simul incommodum inde promanavit, quòd erui plurimarum Legum scopus difficultimè possit, cùm ita carendum interpreti sit præcipuo genuinæ ē- puvetas instrumento, quod ex antecedentibus consequentibusque intermediorum sensum colligit. Suppleri hic defectus facili negotio posse, si libri isti, unde Pandectæ compilatae fuerunt, hodie adhuc superessent: sed interiere illi tristissimo Jurisprudentiæ fato, vel ab ipso Justiniano ex vanæ gloria stu- dio suppressi, vel ob extractum inde compendium, ut fieri solet, à plerisque neglecti. Interim in hujus rei subsidium La- bittus aliud artificium excogitavit, ut scilicet fragmenta, quæ ex libris JCtorum veterum supersunt, quantum ipsa res per- mittebat, compingeret in unum, eaque conjungeret, quæ in illis libris conjuncta fuisse verosimile erat. Sed ita pars ma- li sublata, nequaquam verò universum. Vtut autem hæc ita sint, magnifico tamen Digestorum Pandectarumque titulo L. illi libri, quibus veteris Jurisprudentiæ periodus continetur, superbiunt, quasi immensum juris ambitum includerent, aut

eximiè prorsus forent digesti. At contrarium tamen adeò manifestum est, ut politiores quivis JCri id diffiteantur minimè. Etenim exceptā titulorum *ovēxēia* (ut Nicolaus Zisnerus loquitur) quaē nec ipsa semper optima est, pauca ceteroquin artificiosè digesta, apteque disposita, & ad sua genera convenienter aggregata sunt. Neque L. isti libri omnes legitimas decisiones in se habent, aut omnem æqui aut boni disciplinam comprehendunt. Et sancè si vel tempus sollempnè, intra quod tantæ molis opus consecutum fuit, perpendamus, clarè hinc elucefcet, non tam exactam hic à Compilatoribus curam adhibitam fuisse, quam adhiberi ipsa operis magnitudo postulabat. Sed pergamus nunc ad *Codicem*, Imperatorum Constitutiones continentem. Jam quidem anno vicesimo nono seculi sexti Sanctionum Cæsarearum collectionem Justinianus promulgavit, sed cùm deesse huic labori suo plurima perspiceret, post quinquennium aliud Codicem edidit, quem repetitæ prælectionis nomine ipse insignivit. Dedit & hæc res incommmodo alicui ansam, quod ad priorem Codicem ipse saepius Imperator provocet, licet ille compareat nusquam, studiosè post editionem posterioris suppressus. Neque verò eo successu in conscribendo posteriore Justinianus usus est, quem magnifica ejus promissa pollicentur, & velut è longinquo ostentant. Namque & in isto Codice omissa multa, quaē inferrenda fuissent, & inserta vicissim, quaē omittere fuisset satius. Neque enim id unā tantum aut alterā vice sit, ut è suis etiam Constitutionibus nonnullas alibi alleget Imperator, quas inventire tamen nulli haec tenus datum fuit. Vnde fieri sancè aliter non potuit, quam ut circa sensum illarum strictim tantum in Institutis expositum innumeræ emergent lites, facili negotio ex totius Constitutionis contextu decidenda. Vicissim suorum in Imperio antecessorum Leges adeò subinde corruptas in suum Codicem transtulit Justinianus, ut tristissimam illæ subiisse Metamorphosin videantur, si Justinianeum cum Theodosiano Codice conferas. Mox enim loco politæ orationis flaccidus languidusque stilos substitutur: mox verò refecantur ea, quaē Justinianearum etiam Legum fundamenta egregie illustrarent: mox denique infaciuntur à Triboniano aliena

aliena verba, à prioribus planè abhorrentia, ut non possit non monstrosa inde prodire constructio. Excusare quidem non nulli-haud infimí nominis JCri eo Justinianum conantur, quòd Codicem suum ita ab eo ordinari consultum fuerit, ut superfluis nullumque in foro usum habentibus neglectis reliqua juxta Justinianæ Jurisprudentia faciem componerentur. Sed num hunc etiam scopum Imperator attigerit, jure forsitan dubitare illi licebit, qui inutilibus Codicem omnino scatere perpendet. Neque verò ad hunc finem obtinendum necessarium fuisset ex antiquorum Cæsarum Edictis reficare ea, que mutationem juris veteris continebant, quòd gloriam amputatarum subtilitatum, quæ antiquioribus temporibus in usu erant, arrogare sibi Justinianus posset. Sic gloriari magnopere Imperatorem videmus, quòd quoad quasdam restitutionis in integrum species annum ipse utilem in quadriennium continuum commutarit. Sed actum id jam ante eum à Constantino M. fuisse ex Constitutione quadam ejus, quam depravata in mutilansque Codex Justinianus, Theodosianus vero integrum exhibet, manifestò elucescit. His accedit, quòd cunctæ Justiniani Constitutiones stilo vaniloquo, sesquipedalibusque verbis magnopere turgent, egregio arrogantia Imperatoriæ documento, quam in hoc Cæfare non Procopius solum in Historiâ arcana, sed unanimi consensu omnes Historici notant. Sed & plurima denique ex Theodoræ, omnium meretricum suo tempore antesignane Justinianique charissimæ thori sociæ, suggestione promanasse, res ipsa favorque fœminini sexus insigniter adeò totiesque in Legibus stabilitus dubitare nos non sinit. Nam uti eximiā prudentiam Legislatoriam Justiniano non facile denegaveris, nec denegavit etiam Procopius; ita non iverit temere inficias quisquam genium aulae Justinianæ perpendens, variis artibus id effectum fuisse, ut complura in vim legis abirent, Theodoræ machinationibus aulicorumq; fraudibus inservientia. Et quid sperare aliud de Principe licet adeò extremæ sortis mulierculæ obnoxio, ut quamvis illa nullum non scelus in Magistratum, in plebem, in DEum & DEI filium perpetraret, non tamen priorem modò in gratiâ mariti locum obtineret, sed & dominium in ipsum sat exerceret vehemens.

Cir-

Circa Novellas tum gemina his occurunt, tum etiam vulgaris illa Doctorum sententia commemoranda venit, quâ Latina versio pro authentica venditur. Et certum tamen est, in plurimis eandem à Græco textu, vim legis sine dubio habente, dissentire, imò prolabi interdum ad incongrua, dum e. g. alterutras manus pedesve abscondere prohibet, Justiniano vetante, ne utriusque manus aut pedis suppicio ullus posthac afficiatur.

Vidimus haec tenus, *Auditores*, potiores corruptæ Jurisprudentiae causas, quas ita comparatas esse videmus, ut si non tolli omnes, submoveri tamen pleraque queant. Non desunt enim nostris quoque temporibus summi Viri, qui superatis, quemodo ex parte memoravimus, solidae eruditiois obstaculis vindicare ab irruente horridâ barbarie Jurisprudentiam annisi sunt, & vindicarunt etiam. Ipsa Argentina nostra adeò ferax magnorum semper ingeniiorum extitit, ut prædicare eam hoc quoque nomine felicem liceat, quod impugnando seculi genio debellandisque vitiis publicis tantum illa & olim attruerit momentum, & hodiendum afferat pondus. Quid superstes ergo, quām ut succrescens in spem futuri ævi juventus, genuinos hosce cœlestis Astræa Sacerdotes imiterur, ut pressis horum vestigiis fulcire collapsam aut ruinam certè minantem aliorum culpâ ac ignaviâ juris disciplinam conetur, & ut denique propagare partam jamdudum Patriæ gloriam, promovere rei literariae ac inde pendantis salutis publicæ incrementa, atque sibi ipsis afferere eximum illud decus, quod studioſa vera Jurisprudentiae cultura affert, indefinenter laboret.

D I X I.



AB:155240




SB.

H-12

UD 17





14.
JOHANNIS CHRISTOPHORI
BARTENSTEINII
PHIL. D. & J. V. L^{ti}.
DE
HÆREDIPETIS,
DIATRIBA JVRIDICA
una cum Oratione
DE
**CAVSIS CORRUPTÆ JV.
RISPRVDENTIÆ.**



ARGENTORATI,
Sumptibus JOH. REINHOLDI DVLSECKERI.

ANNO M DCC XII

